



MARSILII CAGNATI VERONENSIS

DOCTORIS MEDICI ET PHILOSOPHI


VARIARVM OBSERVATIONVM LIBRI QVATVOR.

Quorum duo posteriores nunc primum accessere.

EIVSDEM DISPVTATIO

De ordine in cibis seruando.





PERMISSV SVPERIORVM.

ROMÆ.

Apud Bernardinum Donangelum.

M. D. LXXXVII.

Aris. S. Nungi v. c.

MARSILII CAGNATI VERONENSIS

DOCTORIS MEDICI ET PHILOSOPHI

VARIARVM OBSERVATIONVM LIBRI QVATVOR,

Quorum duo posteriores nunc primum accessere.

EIVSDEM DISPVTATIO

De ordine in cibis seruando.

PERMISSV SVPERIORVM.

ROMAE.

Apud Bernardinum Donangelum.

M. D. LXXXVII.

IVLIO ANTONIO SANCTORIO S. SEVERINAE CARDINALI

MARSILIVS CAGNATVS S. P. D.




IRVM nemini videri debet, Sanctori Cardinalis ornatissime, cur meos hosce variarum obseruationum libellos, qualescumque ij sint, sub tui nominis inscriptione diuulgem: cum & notum sit omnibus, te bonarum tractatione litterarum ita delectari, vt in ea magno cum Christianæ Reipublicæ commodo assidue verseris: & ego pro tua erga me, & affines quosdam meos mihi charissimos volũtate pluribus officijs probata, ita me tibi deuinctum esse sentiam, vt facere non potuerim, quin darem operam, meus ut animus, vel harum litterarũ testimonio, cognosceretur in vulgus. quod si arguat fortasse quispiam, vel rerũ exilitatem, vel litterarum genus à studijs alienum tuis; ab ho c ego vehementer il-

ſud peto, vt intelligat, tum mihi euenire nil grauius poſſe; quam ſi tuorum aliquo laborum fructu, meam ob cauſſam, fraudetur Reſpublica. tum etiã ſatis mihi futurum, ſi forte in harum leuiorum rerum lectionem quaſi amœnitatem, diuerteris, cum relaxare tibi animum aliquando à grauiſſimis illis, quibus diſtineris, occupationibus licuerit. neque vero illud omittendum eſt. quo tenuior quæque res eſt, eo ualidiori contra magnos impetus adminiculo indigere. Tu autem in omni re talem te omnibus pręſtas, vt à tua vel ope, uel gratia, vel auctoritate petendã, neminem iſtius dignitatis ſplendor, & amplitudo deterreat. Vale.

AD LIBRVM.

Ne quæras alium, nuper liber aucte gemellis,
At ueterem dominum ſit uoluiſſe ſatis.
Muſa nouo partu grata eſt, ut flore recenti,
Et ueteri, ut uino, gratia maior hero eſt.

AD LECTOREM PRAEFATIO.



HAEC miscellanea tractatio, variarum cōmentationum nostrarum quasi præludium, sine prefatione, tāquā sine capite, exire non immerito potuisset. quia, ob nullam ipsarum rerum, & partium coagmētationem, nihil habet, quod proportione membra iusti corporis reddat. Sed quoniā hoc fere ingenio sumus omnes, ut vereamur semper, ne quid de iure nostro detrahatur, nisi nostram per nos ipsi causam agamus; maxime ubi actores ijdem & iudices futuri sint: quod legentibus vsu veniré consueuit; coactus sum pauca quędam necessario præfari. Ac primum; vt candidus lector intelligeret, me pudoris rationem, quam viros quoque magnos habuiße comperimus, minime neglexisse: & nihil impudenter facere cogitasse: non fuit omittenda excusatio; vulgaris illa quidem, atque vsitata, sed fortasse necessaria; nos ad hęc, quę satis diu suppresimus, in lucem proferenda, non nostro esse consilio adductos, sed amicorum hortatu, vel potius auctoritate, atque adeo impulsu; quorum nec beneuolentię diffidere, nec iudicium aspernari sine culpa potuißem. Deinde rogandus

gandus mihi idem lector est; si eosdem auctores alibi probari, alibi damnari animaduerterit, ne me putet hanc scribendi prouinciam suscepisse, quasi vero in animum induxerim, mei muneris esse de clarissimorum hominum sententijs tamquam arbitrum cognoscere. hoc enim esse à mea natura, ac moribus alienum (vt nihil ipse dicam) testari nonnulli possunt, atque ij quidem homines grauissimi, qui huius mei consilij conscij, & probatores fuere. sed sibi persuadeat, me discendi cupidum, & veritatis amatorem magis, quam vllius sectæ æmulum esse. quod ipsum si crimini dandum mihi esse periti rerum existimatores iudicauerint: ego uero, quam contra afferam, excusationem nullam habeo. Tum si quispiam huius libri institutum reprehenderit, quod prestare vnum genus rerum continuata persequi oratione, quam rerum dissimilium tam uarias, interrupto sermone, species coaceruare, existimet: hoc vnum satis illi debet esse: plures in omni fere seculo hanc scribendi rationem cum magna commendatione ingenij secutos: quod vero multorum exemplo fiat, id iure etiam factum videri. Denique si, leuiora quędam me persecutum, quispiam notauerit; is etiam quæso animaduertat id, quod neminem, præsertim expertum, latere potest; non tam facile esse, quam turpe, in exiguis, & paruis rebus hominem errare, ac decipi: & in eisdem non ruere, ac labi minoris esse glorię, quam laboris. hoc enim vel vno argumento esse poterit, mihi non tam laudem propositam, quam ipsam veritatem studiose quæsitam fuisse: quę lucis instar rem quamlibet

etiam

etiam minimam illustrat, & aspectabilem reddit. porro vt non eodem sunt gradu cuncta, ita non eisdem omnes mouemur. sunt enim, quos grandiora quædam, sunt etiam, quos mirum in modum iuuat leuiora cognouisse. quibus vt libertate fruantur sua, permitti ab ijs, qui grauioribus delectantur, æquissimum

est.


ius:exire e

NE, quęso lector optime, greſſum ultra promoueas prius, quam ſuis hęc pauca lo-
cis, in auctoris gratiam, repoſueris. pag. 76. poſt
illa, ἐνδεινότερος τόπος. ponenda eſt dictio, αἰθρία.
147. poſt illa, inter medicos, adde, Græce. 159.
poſt illa, μετρίας κενώσεως. ponendum eſt, ἤτε
διὰ τῆς ἕδρας. 200. vbi ſpatium inane eſt, pone γο-
νήν. 201. poſt, non acquieuit, legendum, hęc
ait. in quibus duo ſunt errata. 223. poſt χαλ-
κάνθου, reponendum, ſed debuiſſet dicere χαλ-
κοῦ ἄνθους, uel χαλκοῦ κεκαυμένου. 292. ibi,
exemplaria habent, lege, non habent. demum
notabis, notas numerorum omnes poſt. 272. vſ-
que ad 289. falſas eſſe, quod nullo labore intel-
ligitur. reliqua errata, quæ multa ſunt, ſed le-
uiora, in extremo volumine notata reperies.


MARSILII CAGNATI VERONENSIS

DOCTORIS MEDICI, & Philosophi, variarum obseruationum

LIBER PRIMVS.



NON EVM ESSE REI VENEREÆ in morbis vsum, quem multi de Hippocratis sententia existimant. Cap. I.



ON est minus ad sanitatẽ vtile, quàm iucundum ad intelligendum, vtrũ rei Venereæ, excepta sobolis propagatione, vsus aliquis sit, de qua re quadã dicturus ad illustranda nonnulla Hippocratis haud satis recte ab aliquibus percepta loca, breuiter primũ aliorum quorundam dicta perstringam, deinde, quid ex Hippocratis sẽtẽtia dici possit, quanta potero diligentia perpendam.

Venerem Democritus *damnauit, vt in qua homo alius exiliret ex homine, quod* a *Plinius retulit. Epicurus, vt ait* b *Galenus, dixit, nullum eius salubrem vsum esse, præclare agi, si non noceret.* c *Plutarchus auctor est Cliniam Pythagoricum dixisse, tum venerem exercendam, cum quis damnum aliquod subire*

a lib. 8. c. 6.
b lib. artis medicę. & 3. epid. cõ. 1. tex. 4.
c 3. Sympo.

 velit.

velit. [a] *A. Gellius, &* [b] *Macrobius testantur illa fuisse Hippocratis verba,* συνουσίαν εἶναι μικρὰν ἐπιληψίαν, *quod tamē de Democrito* [c] *Galenus ex Sabino narrat.*

a lib. 19. c. 2.
b in fi. lib. 2. saturnal.
c 3. lib. epid. com. 1. t. 4.

Sed existimo ex his alios ita locutos, vt ab ea voluptate homines auerterent, alios vt eosdem admonerent, magna cura opus esse ne modum excederent. Democritum præsertim significare voluisse, rem esse non adeo frequenter vsurpandam, quia si homo coitu erūpit ex homine, maximum in eo, quod egreditur, ad vitam, & salutem eius etiam, a quo egreditur, momentum esse verisimile est. Hippocrates enim libro de genitura dixit, robustissimum quiddam secerni, argumēto, quod paucula adeo re emissa elanguescimus. & libro quarto de morbis dixit ex humido, quod est in corpore, non minimam, neque debilissimam portionem in semen procedere. nec aliud Hippocrates, siue Democritus voluit, cum dixit, concubitum esse paruum morbum comitialē, quam significare periculum subesse non spernendum: si enim modus non adsit, paruus morbus potest magnus euadere, & in mortem desinere, quod euenisse pluribus certum est. alioqui plura esse Veneris commoda, medici, quibus maiori curæ fuit corporis, quam animi salus, tradiderunt.

Galenus libro artis medicæ significauit, Venere aliquando seipso leuiorem hominem fieri, ac facilius spirare, & [d] *alibi scripsit aliquos capitis grauitatem, ciborum fastidiū, & aliquando febres effugere: item viduas mulieres neruorum distentiones vitare. plura ante Galenum tradiderat, auctoribus* [e] *Aetio &* [f] *Oribasio, Rufus Ephesius, quem medici posteriores secuti sunt, vt inter præcipuos, Paulus, & Auicenna. dicebat igitur plenitudinē exhauriri, corpus agile reddi*

d 6. lib. de loc. aff. c. 5
e lib. 1. ser. 3. c. 8.
f ad Eustat. lib. 1. c. 6.

ad

ad incrementum promoueri, & virile magis effici, habitum, qui iusto durior sit, molliri, vim rationis explicari, iram vehementem sedari, ac propterea melancholicis maxime prodesse, & alio dementiæ genere laborātes ad sanitatem reducere. ad hæc nonnullos comitiali morbo prehensos sanari, & alios ab assiduis pollutionibus, quæ in somnis fiunt, liberari. [a] *Plinius ait proditū fuisse, coitu leuari percussos a serpente, ac scorpione. idem* [b] *inquit, est hercule raritas eius vtilior. Athletæ tamē torpentes restituuntur venere. vox reuocatur cū e candida declinat in fuscam (etsi alibi* [c] *ait* Democritū *putasse cibo rhaphani venerem stimulari, ac ob id fortasse voci nocere aliquos tradidisse, quod in contrariā sententiam trahi posset) medetur lumborū dolori, oculorū hebetationi, mente captis, & melancholicis. quodque de lumborū doloribus Plinius dicit, visum est ab* [d] *Auicenna notatum de doloribus renum. quem etiam meminimus in* [e] *cordis palpitatione ab humore sanguineo & vrinæ* [f] *ardore coitum probasse.*

a lib. 28. c. 4.
b lib. 28. c. 6.
c lib. 20. c. 4.
d lib. 3. fen. 20 trac. 1. cap. 10.
e lib. 3. F. 2. tr. 2. c. 2.
f lib. 3. F. 19 tr. 2. c. 3.
g lib. 6. epid. sect. 6.

Hippocrates *primum monstrauit generatim, veneris vsum moderatum non esse damnandum, cum dixit,* [g] *labores, cibi, potus, somnus, venerea mediocria, deinde vero priuatim ostendit conferre mulieribus, quibus distorto propter siccitatem ore vteri menses occultantur, vt legitur primo libro de morbis muliebribus, vbi etiam significauit conferre mulieribus, quibus similiter ob siccitatem vteri conuersi suffocationem repente pariunt, dicendo, malum hoc accidere illis maxime, quæ cum viris non coeunt. Cui simile est, quod libro de genitura dicitur, mulierem si viro misceatur saniorem esse, quia sic vteri madefiunt, qui si fuerint sicciores,*

quam par eſt, conuertuntur, & laborem corpori præbent. libro etiã de natura muliebri, & ſecundo de morbis muliebribus oſtendit prodeſſe his, quibus vteri ad hepar conuertuntur, quod cum accidat potiſſimũ virginibus ac viduis, perſuadendum virginibus dicit (quod Chriſtianus medicus temere conſulere non debet) vt cum viro cohabitent. & hæc de mulieribus dicuntur, quæ ita ſe habere, cum frequenter contingant, poteſt quilibet facile animaduertere.

Sed vnum hic præterire ſilentio non poſſum, quod Galenus, & poſt illum medici omnes, maxime claſſici, exiſtimarunt, graues mulierum morbos ex vtero (præter menſtruorum ſuppresſionem, de qua dubitandum non eſt) ex retento oriri ſemine, quod crediderũt ita permutari & corrumpi, vt inſtar veneni mulieres torquere & exagitare posſit; ex qua opinione ortum illud eſt, quod ex plurimorum ore frequenter excidit, venenum e retento naſci ſemine. cumque id promiſcue de viris & mulieribus intelligant, ad morum corruptelam non parum contulit. Cum tamen Hippocrates, qui de morbis muliebribus copioſisſime ſcripſit, nil tale de ſemine tradiderit, ac de viris quidem nihil, quod huc pertineat, omnino dixerit; de mulieribus autem illud tantum, quod vteri, vt ante diximus, aliquando inopia humoris laborant, & cum eum adepti ſunt per coitum, ſanantur. quam ſententiam aliquis fortaſſe crederet à Galeno refutari, cum diſputat ſexto a libro de locis affectis, aduerſus illos, qui vterum animal eſſe putabant, atque ideo aliquando ferri ad præcordia, vt inde humorem nanciſceretur: dicebat enim facilius vterum poſſe à veſica & recto inteſtino, vel etiam ab hepate, quam ex præ-

a cap. 5.

cordijs

cordijs humorem consequi; quod argumentum efficax est aduersus eos, qui ita existimabant de vteri ascensu ad præcordia, sed non aduersus Hippocratem, qui non ait vterum ferri sursum, aut inclinari in latera, vt ab alia parte humorem quasi mutuo accipiat, tanquam intellectu, aut consilio quodam id faciat, sed temere ac fortuito ab ipsa vi morbi vel ad hanc, vel ad aliam partem ferri significat. Cumque uterus humore in seipso indigeat, non potest uel uesicæ, vel uentris excrementa in se recipere, nisi ui magna morbi alicuius (nam quandoque alui excrementa per uterum prodijsse uidimus) quod tantum abest, ut sit utero præsidium, ut animali mortem inferat. Sed satis esto in præsentia hanc controuersiam æquis rerum æstimatoribus significasse. illud experimentis credere oportet, in uiris coeuntibus, semen commotum & ad egressum festinans sine periculo cohiberi non posse, inde enim tum febres, tum magnos dolores aliquando proficisci compertum est. fuerunt, qui Hippocratem interpretando dixere Pythiona, qui est ægrotus primus ex relatis ab ipso tertij libri epidem. sect. prima, Veneris abstinentia laborasse, sed illos optime Galenus confutauit in eiusdem loci explanatione. redeo vnde discessi.

Mulieribus igitur Hippocrates priuatim veneris vsum conferre ad sanitatem scripsit. de viris autem peculiare aliquid manifeste tradidisse, vix ostendi potest. nam illud, coitus morbis ex pituita commodus, de quo deinceps disseremus, commune videtur mulieribus ac viris, illud viris conuenire videtur, quod legitur in fine septimi libri Epidemion, Scortatio impudens dysenteriæ medela. de qua re quid ab alijs dictũ fuerit referre non habeo, nos contrarium aliquando

animaduertimus, ſcilicet ex veneris vſu aliquos in dyſenteriam incurriſſe, quamuis nō hoc ſolo forte peccaſſent. qui vero dyſenteria laborans, coitu ſanatus ſit, nondum quisquam nobis occurrit, fieri tamen poſſe non negauerim: quoniam in morbis ſæpe videre eſt ea, quæ alicui morbum inducunt, ex eodem morbo alterum liberare, vt notatum eſt ab Hippocrate libro de locis in homine. illud mihi probabilius viſum eſt, quod Stoicis trbuiſſe viſus eſt [a] *M. T. Cicero.* δυσουρίαν *ab intemperantia veneris naſci. propterea nunquam non temerariam medicinam eam eſſe dixerim, ſi quis vt dyſenteriam tolleret, venerem exerceret. neque illud Hippocratis præceptum eſſe exiſtimo, vt nec alia multa, quæ in libris Epidem. ad memoriam tantum notata cenſeo; de quibus quid ipſe ſentiret non ſignificauit. Eſt etiam alterum, quod viris priuatim conuenire videtur, de quo poſtea dicemus.*

[a] lib. 7. epiſ. 27. fam.

Nunc perpendendum eſt illud, quod legitur apud eundem ſexti libri epidem. ſectione quinta, Coitus morbis ex pituita commodus, quam ſententiam poſteriores omnes vt veram, & ab Hippocrate dictam receperunt, nullus autem eam diligenter perpendiſſe reperitur. nam cum quæri poſſit, vtrum coitus ita morbis ex pituita commodus ſit, vt præter id genus proſit nulli: item vtrum conducat omnibus morbis ex pituita, an aliquibus tantum, & quinam illi ſint. hæc nemo, quem viderim, examinauit; Galenus tantū ſcripſit, non omnibus, qui laborant huiuſmodi morbis, coitum vtilem eſſe, quia non ijs, quibus infirmæ vires ſunt; quod erat ſatis perſpicuum, nec magnopere admonitionem deſiderabat.

Quod igitur non ſolis ex pituita morbis commodū ſit,

fit, ostendi potest ex his, quæ ex Hippocrate ipso ante diximus: nam qui ob vteri siccitatem mulieribus fiunt, coituque sanantur, a pituita esse dici non possunt. Sed etiam absonum est, quod omnibus ex pituita conducat: etenim quis vnquam leboranti acuto ex pituita morbo, aut febre similiter ex pituita (etiam si ætate floreat, ac viribus valeat) autor fuit, vt Veneri operam daret? quod adhuc absurdius esset, si coitus vocabulo, (cum Hippocrates dixit, coitum morbis ex pituita commodum, vbi græce λαγνεία est) immoderatus vsus Veneris significaretur, vt Gaza visus est existimasse, cum in problem. Aristotelis vocem illã sic interpretatus sit; cuius sententia etsi à quibusdam reprehenditur, tamen comprobatur Suidæ testimonio, qui in hac voce maiorem quandam turpitudinem agnoscit inquiens, λαγνεία πορνεία, idest scortatio. & λάγνος, inquit, πόρνος, αἰσχρὸς, καταφερὴς πρὸς τὰ ἀφροδίσια, idest, scortum, impurus, rebus venereis apprime deditus. quamquam scio apud Hippocratem & apud Aristotelem alijs locis, hoc vocabulum promiscue significare moderatum & immoderatum Veneris vsum. sed, hoc omisso, certe Hippocrates libro de internis affectionibus in quarto renum morbo, qui fit a pituita, ægrotum admonet, ut Venere non utatur. cum alioqui traditum sit a nonnullis, venerem doloribus renum mederi (quibus tamen Galenus repugnat quinti commentarij in librum sextum ἐπιδημιῶν particula uicesima sexta.) & in quarto splenis morbo, qui similiter pituitosus est, dicit opus esse, ijsdem pharmacis, & potibus, & laboribus, quibus in prioribus morbis esse opus dixerat, in tertio autem admonuerat, absti-

nendum esse a venere. itaque nec solis, nec omnibus ex pituita morbis venus commoda est. restat, vt aliquibus tantum, sicuti scriptum est in [a] problemat. Aristotelis, vbi quæritur , cur coitus morbis quibusdam ex pituita conferat. quamquam [b] alibi quæratur communiter, quare conducat morbis ex pituita.

[a] sect.4.proble.17.
[b] sect.5.proble.50.

Est qui existimet, hanc sententiam duobus exemplis ab Hippocrate confirmari: quorum alterum Timocharis est quinto & septimo , alterum Nicippi quarto libro Epidemion. cum tamen alterum omnino id, quod proponitur, non probet, de altero autem iure & merito dubitetur. in exemplo Nicippi de coitu, ac vsu eius nullum uerbum. ait Hippocrates, seminis per somnum effusionem sæpius factam nihil ei nocuisse. at coitus aliud est, quam pollutio per somnum, & prodesse aliud est, quam, non obesse, quapropter nemo consentiat, si pollutio per somnum in febribus non lædat (quæ res non raro contingit) quod etiam vsus Veneris in febribus conducat: quoniam maius in minore non est, sed econtra. quamobrem Petrus Aponensis, quoniam interpretans dicta Aristotelis problemata dixerit, coitum quemcumque in febribus semper obesse, hoc exemplo redargui non potest. siquidem Hippocrates coitus mentionem non facit. idem tamen posset refelli ipsa experientia: quoniam aliquando contigit, ut coitu quis liberaretur a febre. sed arbitror illum, cum dixit, semper obesse, non existimasse, quod omnino nunquam damnum vitari possit, sed quod periculum semper immineat, quod tamen aliquando forte fortuna euadere fas est; nam reuera temeraria medicina est, febre laborantem ad rei venereæ usum hortari.

Alterum etiam exemplum ad rem minus facit. Si Hippocra-

Hippocrates dixiſſet Timocharem hyeme, à deſtillatione in nares ſolicitatum, coitu ſanatum, aut id ſolum, uenere omnia reſiccata, manifeſta res uideretur. ſed plura dixit, quæ ſi accurate perpendantur, nobis perſuadebunt, nō à uenere, ſed ab alijs, quæ poſt uenerē longo interuallo acciderunt, ſanatum eſſe. Venere quidem reſiccatæ ſunt nares, & aliæ partes, in quas humor deſtillabat, ſed ipſe ille humor alio conuerſus lasſitudinem, calorem, capitis grauitatem excitauit. quæ poſtea ſudor ſuccedens abſtulit, inquit Hippocrates, *Timochari hyeme deſtillatio maxime in nares, cum uenere uſus eſſet, reſiccata ſunt omnia: lasſitudo, calor ſucceſsit, caput graue, ſudor à capite multus. defluebat autem, & per totum corpus. erat autem etiam ſanus ſudare adſuetus, tertia die euaſit ſanus. non dicit igitur humorem totum fuiſſe venere exſiccatum; quod iure dici non potuit, nam cum ſucceſſerit lasſitudo, calor, capitis grauitas, & ſudor multus, quomodo humor omnis exſiccatus? Sed inquit, reſiccata ſunt omnia, id eſt, partes omnes, in quas humor defluebat, quia non in nares tantum (in eas quidem maxime) ſed & in alias, cum dicat maxime, deſtillaſſe ſignificat. ergo veneris vſum in hoc ægro non ſanitas, ſed morbi permutatio ſecuta eſt. ſanitas vero ſucceſsit ſudori, ſcilicet reuocatę eiuſmodi euacuationi, quæ ſine dubio liberare hominem poterat, & eidem erat erat etiam ſano familiaris ad hæc in priori exemplo, quid de ea pollutione ſentiret demōſtrauit, cū dixit nihil nocuiſſe. in hoc autē, quid de venere ſenſerit, nullo verbo ſignificauit. quapropter quid ille de vſu veneris exiſtimauerit, ex hac narratione intelligere nō poſſumus. immo contrariam ſententiam ex ipſis* Hippocratis

cratis uerbis tueri aliquis facile posset. ita enim se habent, ut nō magis significēt Timocharē venere sanatū, quam in destillationem incurrisse. nam alterutrum doceat, sola uerborum interpunctione dignosci potest, inquit, τιμόχαρει χειμῶνος κατάῤῥους μάλιστα ἐς τὰς ῥῖνας ἀφροδισιάσαντι ἐξηράνθη πάντα. *si igitur hanc non solam historiam, sed cum historia documentum etiam aliquod Hippocratis, ac iudicium aliquod esse uelimus (quod quidem non est perspicuū) interpunctum præcedat* τὸ ἀφροδισιάσαντι, *tum sequitur, quod venere omnia sint resiccata, quod illi interpretantur, sanari. at si interpunctum sequatur eandē uocem, intelligendum est, quod post venerem destillatio orta sit. quod etiam probabilius est, quia longe frequentius euenit, ex venere morbos oriri, quam extingui. cumque eadem historia quinto libro & septimo* ἐπιδημιῶν *scripta sit, in quibusdam exemplaribus, altero libro interpunctum præcedit, altero sequitur. nec obstat, quod quærere aliquis posset, si accipiamus destillationē ex venere originem duxisse, quomodo intelligemus resiccata esse omnia? nam respondere facile est. quod sponte, ut multa in morbis sponte contingunt.*

a sec.3.aph. 28. *Quibus igitur morbis ex pituita venerem utilē esse ex Hippocratis sententia statuemus? scripsit in* a *aphorismis, plurimos pueritiæ morbos iudicari alias die quadragesimo, alias mense septimo, alias anno septimo: alias pubertate, qui uero aut pubertate, aut in femina menstruis erumpentibus non terminantur, diuturnos esse solere. morbi autem puerorum, quos Hippocrates retulerat, a pituita magna ex parte oriri exstimantur.*

b lib.2.c.1. b *Celsus uero eundem locum imitatur, & interpreta-*

tur

tur in quiens, si qua genera morborum neque pubertate, neque primis coitibus, neque in femina primis menstruis finita sunt, fere longa sunt. quibus significat spem esse non in sola pubertate, sed etiam in coitu, qui cum pubertate incipit. quasi crediderit Hippocratem, cum solam pubertatem expresserit, coitum etiam intelligi uoluisse, & de a comitiali priuatim inquit, eum si remedia non sustulerunt, in pueris ueneris, in puellis menstruorum initium tollit. item Plinius b inquit, multa genera morborum primo coitu soluuntur, primoque feminarum mense, aut si id non contingat, longinqua fiunt, maximeque comitialis. Aretæus c quoque in curatione comitialis morbi fuisse medicos significauit, qui laborantibus comitiali commodam esse venerem, hoc Hippocratis loco adducti, persuaserunt. hocque illis adeo placuisse, ut impuberes quoque comitiali laborantes hortati sint venere uti intempestiua, tanquam sic pubertatis præsidium occupaturos. quorum opinionem ipse iure merito refutauit. ex his autem colligitur, antiquos & medicinæ peritos viros, aliquando existimasse ex Hippocratis sententia, coitum prodesse morbis, qui pueritiam comitātur, cum iam coitus tempus accesserit, ex quibus morbis, græce ἄσθμα uocatum, venere solui ex eiusdem sententia maxime uideri debet, ob eam cognationem, ac quasi consensum, quem pectori cum pudendis esse Hippocrates sæpe monuit, sed præsertim in secunda sectione libri secundi ἐπιδημιῶν Tusses diuturnæ, ubi testis intumuit cessant, & testis tumor a tussi cessat, & alleuatur. quæ res commonefacit nos communionis pectorum, mammarum, genituræ, & uocis. quo pertinet illud a nobis ex Plinio

a lib.3.c.13

b lib.28.c.4.

c lib. 1. de cur.morb. diutur.c.4

Plinio de voce ante dictum, & illud Galeni de spiritu, quem dicit venere faciliorem reddi. & hoc est alterũ, quod de maribus priuatim dictum antea significabam: quoniam pubertatis mentio apud Hippocratem, & coitus apud Celsum & Plinium, distinguitur ab eo, quod hi omnes de feminis dixerunt; illis enim priuatim mensium eruptionem assignarunt, significando vtilem eam in illis morborum generibus esse, a quibus mares pubertate, & coitu liberantur. quodque de tussi, ac tumore testium simul traditum est, in maribus tantum obseruari potest. Galenus tamen in eiusdem aphorismi explanatione de vsu veneris ac semine nihil dixit, & fortasse omnem vim pubertatis attribueret sicco calori succedentis ætatis, vt dixerat de comitiali secundæ sectionis aphorismo quadragesimo quinto, qui cum ortum habeat ab humida & frigida materia, a calore sicco ætatis, quæ sequitur, materia huiusmodi consumpta, deleri Galeno videtur. venerem ad id conferre neque ait, neque negat. tamen recipit hanc Hippocratis sententiam, venerem commodam esse morbis ex pituita. quam nisi Hippocrates respexit pueritiæ morbos, qui pubertate, & vt alij dixerunt, primis coitibus sanantur, maxime dubiam esse ostendimus, cum neque solis, neque omnibus morbis ex pituita commodum esse coitum exposuerimus, neque etiam confirmari experientia possit, quod magna ex parte pituitosis morbis conducat.

Summa autem hæc est, Hippocratem mulieribus tantum aperte tradidisse, venerem vtilem in aliquibus morbis esse, vt vidimus. de viris autem nihil dilucide scripsisse, & de quo dubitari non possit, ac si experientiam adhibere iudicem velimus, statuemus illam sen-

tentiam, de qua hactenus disseruimus, non præceptum, non aliquod effatum esse, sed admonitionem duntaxat quandam, quod omnino coitus damnandus non sit siquidem aliquibus morbis vtilis est. quā rem cum in his Hippocratis libris, quos habemus, clarius explicatam nōn reperiamus, concludendum est, aut ab eo ignoratam, aut consulto omissam, aut in alijs voluminibus expositam, quæ nec ad nostras, nec forte maiorum nostrorum manus peruenerunt, & fortasse ex his est, quæ cum rarius contingant, certis limitibus cōprehendi non potuerunt, & petenda ax commentarijs non sunt, sed suo cuique corde æstimanda.

NON ESSE MVTANDAM VVLGAtam loci cuiusdam Hippocratis lectione in in libro de Genitura dicentis; semen prouenire ab omni humido corporis. Cap. II.

H*Ippocrates auctor est in principio libri de genitura, virile semen prouenire ab omni humido, quod in corpore inest. sic enim legitur in vulgatis, magisque probatis exemplaribus.* ἡ δὲ γονὴ τοῦ ἀνδρὸς ἔρχεται ἀπὸ παντὸς τοῦ ὑγροῦ τοῦ ἐν τῷ σώματι ἐόντος. *tamen in vetustissimo quodam Vaticani codice legitur* ἀπὸ παντὸς ὑγιέος, *idest, ab omni sano, seu ab omni sana corporis parte. quam lectionem vulgatæ quidam præferunt duabus rationibus.*

Altera est, quod Hippocrates inferius scribit, semen emanare nō tantum ab omni humore, verumetiā à solidis partibus, & a mollibus, tandemque ab vniuerso corpore.

Altera,

Altera, quod Aristoteles primo libro de Generatione animalium, vbi aduersus Hippocratem non paruam habet de semine disputationem, monstrat eius sententiam fuisse, semen a partibus tantum integris, non mancis, atque deprauatis proficisci, argumento, quod claudi (quamquam hoc non semper fieri vult Hippocrates) ex claudis nascantur, quoniam a partibus vitiatis semen non ducatur, alioqui asserunt eruditos multos non satis intelligere, quomodo semen ab omni humido secernatur. Mihi vero persuasum est, vulgatam lectionem debere prorsus retineri, nam (vt se habeat veritas rei, de qua sermo est Hippocrati) cęteris, quæ de eadem re Hippocrates scribit in eodem, & in alijs libris consona est. primo enim in principio eiusdem libri ea, quæ refert ad explicandum quo pacto semen ab omni humido secernatur, nihilo plus pertinent ad sanas partes, quam ad infirmas, & humidi vocabulum semper vsurpat, non autem sani. deinde inferius repetens illa eadem prorsus, quæ in ipso libri initio dixerat, humidi nomen habet, non sani. τὴν δὲ γονὴν, *inquit,* φημὶ ἀποκρίνεσθαι ἀπὸ παντὸς τοῦ σώματος, καὶ ἀπὸ τῶν στερεῶν, καὶ ἀπό τῶν μαλθακῶν, καὶ ἀπὸ τοῦ ὑγροῦ παντὸς τοῦ ἐν τῷ σώματι. *idest, genituram dico a toto corpore secerni, & a solidis, & a mollibus, & ab omni humido, quod in corpore existit. prętεrea in fine eiusdem libri, & in principio quarti de morbis, dicit ab omni humido semen proficisci.*

Ad hæc falsum est, Hippocratem existimasse a sanis dumtaxat partibus, non etiam ab infirmis exire, etenim in principio quarti libri de morbis aperte dicit, semen ad hominis generationem progredi de omnibus

nibus viri, & mulieris partibus. & dicit de omnibus, ægras a valentibus non distinguens. quod si locus hic alicui non persuadeat, certe ex libro de aere, aquis, & locis, omnis dubitãdi, & interpretandi causa submouetur. illic enim de ortu macrocephalorũ Hippocrates disserens, ὁ γόνος, *inquit,* πανταχόθεν ἔρχεται, ἀπό τε τῶν ὑγιηρῶν ὑγιηρὸς, ἀπό τε τῶν νοσερῶν νοσερὸς. εἰ οὖν γίγνονται ἐκ τῶν φαλακρῶν φαλακροὶ, καὶ ἐκ γλαυκῶν γλαυκοὶ, καὶ ἐκ διεστραμμένων στρεβλοὶ ὡς ἐπὶ τὸ πλῆθος, καὶ περὶ τῆς ἄλλης μορφῆς ὁ αὐτὸς λόγος, τί κωλύει, καὶ ἐκ μακροκεφάλου μακροκέφαλον γίγνεσθαι, *id est, cum enim genitura ab omnibus corporis mẽbris procedat a sanis quidem sana, & a morbidis vitiata, fiatq; vt ex caluis calui gignantur, ex cæsiis cæsii, & vt plurimũ ex distortis distorti, eadẽque ratio de reliquis formis, quid prohibet, & ex macrocephalo macrocephalum nasci? quam quoq; sententiam nihilo obscurius affert libro de sacro morbo his verbis* εἰ γὰρ ἐκ τοῦ φλεγματώδεος φλεγματώδης, καὶ ἐκ χολώδεος χολώδης γίγνεται, καὶ ἐκ φθινώδεος φθινώδης, καί ἐκ σπληνώδεος σπληνώδης, τί κωλύει ᾇ τοῦ πατὴρ, καί μητὴρ εἴχετο τούτῳ τῷ νοσήματι, τούτῳ καὶ τῶν ἐγγόνων ἔχεσθαι τίνα: ὡς ὁ γόνος ἔρχεται πάντοθεν τοῦ σώματος ἀπό τὲ τῶν ὑγιηρῶν ὑγιηρός, ἀπό τε τῶν νοσερῶν νοσερός. *id est, si enim ex pituitoso pituitosus, & ex bilioso biliosus gignitur, & ex tabido tabidus, & ex lienoso lienosus, quid probibet, vt cuius pater & mater hoc morbo detenti fuerint, etiam ex posteris aliquis detineatur? genitura enim ab omnibus corporis partibus procedit, a sanis sana, & ab ægris infirma insuper, quod hæc eius sententia fuerit, probari potest ex his, quæ ab eo dicuntur in fine libri de genitura, vbi de mutilatis loquitur.*

quo loco notandũ in primis, quod Hipp. mutilati vocabulum vſurpat. τὸ πηρωθὲν, & τὸ πεπηρωμένον, non pro eo, cui pars aliqua abſciſſa ſit, ſed pro eo, cui vel diſtorta eſt, vel luxata, vel aliquo huiuſmodi malo affecta: quoniã dicit mutilatum habere omnes eoſdẽ numero partes, quas habet ſanus. ἔχει γὰρ, inquit, τὸν ἀριθμὸν πάντα τὸ πεπηρωμένον τῷ ὑγιεῖ. hoc autem vere non dicitur de illis, quibus membra abſciſſa ſunt: dicit igitur ex mutilatis hominibus ſanos filios perumque naſci, ὅτι δὲ ἐκ πεπηρωμένων ἀνθρώπων ὑγιέα τίκτονται τὰ παιδία ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον συμβαίνει. Ratio eſt, quoniam dicit eaſdem numeros partes habere mutilatum (qualem hic, vt expoſuimus, intelligit) & non mutilatum. tamen accidit, vt aliquando filius ſimiliter, vt pater mutilatus oriatur. ſcilicet ſi morbo aliquo ſuperueniente, integrum ſemen ab humoribus, à quibus educitur, non proueniat. ὅτιν δὲ, inquit, τὶ οἱ νόσημα προσπέσῃ, καὶ τοῦ ὑγροῦ αὐτοῦ, ἀφ' οὗ σπέρμα γίγνεται, τέσσαρες ἰδέαι ἐοῦσαι, ὁκόσαι ἐν φύσει ὑπῆρξαν, τὴν γονὴν οὐχ' ὅλην παρέχουσιν, id eſt, vbi vero aliquis ei morbus acciderit, & ipſius humidi, à quo ſemen producitur, ſpecies quatuor exiſtentes, quotquot naturaliter, in ſunt, genituram nõ integram exhibent. morbum vero intelligit diuerſi generis, quam mutilatio: quoniam ex. g. claudus, etſi quo pede claudicat ſanus non eſt, tamen poteſt alioqui ſano eſſe corpore, ac filium omnino ſanũ generare. ſed rurſus fieri poteſt, ſi nouum aliquod ſuperuenerit, vt filius ex eo, claudus ſimiliter naſcatur: quia ſemen ab ea parte, quæ infirma eſt, non integrum ſecedit.

[a] Fen. 21. tract.1.c.8 *Sed & Galenus (ſeu quis alius eius libri auctor) in definitionibus medicis, & [a] Auicenna tertio libro ſcri-*

ſcripſere, eam fuiſſe Hippocratis ſententiam, quod ſemen a toto corpore, a ſanis ſanum, & a morboſis morbo ſum procedat. contrarijs autem rationibus ſic occurritur.

Primæ quidem, Hippocratem in principio libri de genitura dicentem, ab omni humido, & inferius, a partibus ſolidis, mollibus, & ab vniuerſo corpore pugnantia non dicere: quoniam humidi vocabulum ab eo accipitur veluti quid commune amplectens tam ſolidas, quam molles corporis partes: nam etiam in ſolidis partibus humor eſt, oſſa comparatione aliarum partium ſicca quidem ſunt, tamen humidi nuncupatione intelligi poſſunt, quia humorem quendam continent, vt notum eſt. potuiſſet enim aliquis ab eo quærere, num corpus totum ita accipiat, vt partes ſolidas a mollibus non diſtinguat; ideo ſe ipſum ſtatim exponit dicendo, & a ſolidis & a mollibus partibus venire. ac quia rurſus quæri poterat, quo pacto a ſolidis veniat, idcirco ſubdit humidi vocabulum, quo ab initio vſus fuerat, & dicit, ab omni humido, quod eſt in corpore. ſignificans a ſe intelligi, genituram venire a cunctis partibus, quæ humorem continēt; at nulla pars corporis humore vacat; ergo ab omni parte corporis genitura emanat. Recte igitur ſcriptum eſt, ab omni humido. ἀπὸ παντὸς ὑγροῦ

Alteri vero: nihil ex Ariſtotele concludi, quo probetur, Hippocratis verba iure mutari: nam & ſi refutat ille Hippocratis ſententiam, non tamen vt Hippocratis, ſed potius vt alius auctoris examinat: namque Hippocratis mentionem non facit, & vocabulis non vtitur, quibus Hippocrates: hic enim habet τὸ πηρωθὲν *&* τὸ πεπηρωμένον, *Ariſtoteles vero* τὸ κολοβόν. *dein*

de nusquam Hippocrates vtitur illa argumentatione, Claudi nascuntur ex claudis, ergo semen venit ab omni parte; cui rationi ab Aristotele occurritur. Immo cōtrario modo, vt diximus, libro de Genitura, cōcludit: semen venit ab omni parte corporis, ergo ex mutilato nasci potest nō mutilatus, quoniā mutilatus omnes habet corporis partes, quas, qui integer est, habet, & sicut in hoc libro, ita & in alijs, quos ante retuli, semper vtitur, tanquā principio, geniturā venire ab omnibus partib⁹: quo exponit, vt morbidi filij ex morbidis nascantur parentibus, saniq. vt pariter ex morbidis producantur. Propterea mirum non est, nullā ex rationibus, quibus hæc sententia probatur, quasq; Aristoteles retulit, ac refutauit, apud Hippocratem reperiri. Itaque vt falsum est, quod Hippocratis sententia sit, genituram venire tantū a partibus sanis, vt ostendimus, ita falsum est, quod Aristoteles hanc Hippocrati sententiam adscripserit. Ergo neque ex Aristotele sumi argumentum debet ad mutandam vulgatam huius loci lectionem, ab omni humido.

His vero sic explicatis, exemplar illud antiquum Vaticani, in quo legitur. τοῦ ὑγιέως, castigandum est ex altero non minus antiquo eiusdē bibliothecæ exemplari (est & tertium in ea nouissime scriptum, quod vtramque lectionē habet, quasi librarius ille vtrumq; vetustum transcripserit) in quo vt in editis scriptum est τοῦ ὑγροῦ, tam in principio libri, quam in alijs locis, vbi cęteri etiā codices habent τοῦ ὑγροῦ, quamobrem existimandum est lapsu librarij vocabulum ὑγιέως irrepsisse, cum ὑγροῦ scribi oportuerit.

Quod vero dicunt, eruditos multos non satis intelligere, quomodo semen ab omni humido secernatur; id

bifariam

bifariã accipi poteſt; aut quod ſententiã Hippocratis nõ aſſequuntur: aut quod de illius veritate dubitãt. Si primum dicunt, non tamen ſunt mutanda verba, niſi exiſtimemus locos omnes, quos ante retuli; in quibus eadẽ ſemper dicũtur; mutari oportere: quod abſurdiſſimum eſſet. Præterea, mirum eſt, eos Hippocratis ſententiã non aſſequi, a quo clariſſime fuit explicatum, quid omnis humidi appellatione intelligat, atque quo putet modo geniturã a toto corpore, et ab omni humido proficiſci. Nam, quod attinet ad humidi naturã, eodẽ libro, poſtquã dixit ſemen venire a partibus ſolidis, et a mollibus, & ab omni humido, ſtatim ſubiunxit, ſunt autem humidi ſpecies quattuor, ſanguis, bilis, aqua, et pituita. εἰσὶ δὲ τέσσαρες ἰδέαι τοῦ ὑγροῦ, αἷμα, χολὴ, ὕδωρ, καὶ φλέγμα. *ſimiliter in fine eiuſdẽ libri, poſtquã nominauit humidum, a quo ſemen procedit, mox ſubdit, quattuor illius humidi ſpecies eſſe, & in principio libri quarti de morbis, vbi dixit, ad hominis procreationem, de omnibus uiri, & mulieris partibus ſemen progredi; adiecit, mulierem, ac virum quattuor habere in corpore ſpecies humoris, pituitam, ſanguinem, bilem, & aquam, a quibus neque minimum, neque debiliſſimum in ſemen procedit, ſicut in principio libri de genitura dixerat, ſecerni, quod robuſtiſſimum eſt. Colligitur autem ex eodem libro quarto, quod omnes illi humores toti corpori communes ſunt, quam ob cauſam recte dicitur, genituram ab illis uenientem proficiſci a toto corpore. hæc de humidi appellatione. de modo autem aperte locutus eſt in principio libri de genitura, cũ dixit, venas, & neruos, a toto corpore in pudẽdum uergere, per quas ab attritu calefactas, & impletas, id quod pinguiſſimũ, ac robuſtiſſimũ eſt, profectũ*

B 2 ab hu-


ab humido propter motũ calefacto, diffuso, conquassato, & spumescente, defertur, ac in pudendum tendit. Si vero de veritate sententiæ huius dubij sunt, aut falsam ipsam existimant; probandum esset, si rationibus verioribus, aut vero propinquioribus, quam quibus eam sibi Hippocrates persuaserat, refelleretur. alioqui cum in ea constans Hippocrates reperiatur, nullus verborum mutationi relinquitur locus.

Locus in libro Hippocratis de genitura restituitur. Cap. III.

IN *priori capite continere me non potui, quin id facerem, quod factum ab alijs sæpe non approbo. nam in fine libri de genitura paulum mutaui Græca, & aliter sum interpretatus, quam habeant editæ interpretationes: in quibus legitur. Habet enim mutilatum numero omnia, quæ sanum. vbi vero morbus aliquis ipsis, & humido ipsorum acciderit, a quo semen prouenit (quattuor sane cum species sint humidi, quæ naturaliter in corpore existunt) lgenituram non totam exhibent, & cet. Considerabam igitur, cum Hippocrates singulari numero de mutilato locutus esset, cur plurali subiũxisset illa, vbi vero morbus aliquis ipsis, & humido ipsorum acciderit, genituram non totam exhibent. itaque Græca consulenti mihi visus est interpres æquo audentior, qui, vbi legitur,* οἱ, *id est ei, verterit ac si legeretur* σφίσι, *idest illis, siue ipsis (ita enim transtulit, cui voci arbitratus est iungendũ verbum,* παρέχουσιν, *id est, exhibent, videlicet plurali numero tam nomen, quam verbum proferendum recte censebat, propterea etiam id, quod Græce legitur,* καὶ

τὸν

τοῦ ὑγροῦ ἀυτῷ, *id est (vt verba verbis reddantur) & humidi ipsi, vel humoris ipsi, ipse legere voluisse visus est,* καὶ τῷ ὑγρῷ ἀυτῶν, *nam transtulit, & humido ipsorum. tamen non caruit hæc emendatio caussa, nam verbo,* παρέχουσιν, *vt dixi, plurali numero nomen assignandum erat. Verum enim vero quia sperabam mutationem, quæ minor esset, probatiorem fore; visum est satis vnam mutare litteram, ad quam lapsus facillimus erat (est enim facillimus ab,* ου, *ad,* ω,) *vt non,* ἀυτῷ *(quamuis ita scriptũ sit in omnibus impressis, & in manu notatis codicibus, quos ego vidi) sed,* ἀυτοῦ, *legatur. retineoq; datiuum singularem,* οἱ *idest ei, vt respondeat rei, de qua Hippocrates loquitur, singulari numero, & verbum,* παρέχουσιν, *suum habet nomen plurali numero, vt par est, verbis alias non mutatis. Græca igitur ita lego:* ἔχει γὰρ τὸν ἀριθμὸν πάντα τὸ πεπηρωμένον τῷ ὑγιεῖ. ἐπὴν δὲ τι οἱ νόσημα προσπέσῃ, καὶ τοῦ ὑγροῦ ἀυτοῦ, ἀφ᾽ οὗ σπέρμα γίνεται, τέσσαρες ἰδέαι ἐοῦσαι, ὁκόσαι ἐν φύσει ὑπῆρξαν, τὴν γονὴν οὐχ᾽ ὅλην παρέχουσιν. *id est, habet enim mutilatũ numero omnia, quæ sanum. vbi vero aliquis ei morbus acciderit, & humidi ipsius, a quo semẽ producitur, species quattuor existẽtes (quotquot naturaliter insunt) geniturã non totam exhibent. quorum verborũ perspicua sententia est, videlicet si mutilato morbus contingat, genituram non integrã venire ab illis quattuor humidi speciebus, a quibus proficisci debet: nam Hippocrates constat in ea sententia, quod semen proficiscatur ab omni humido corporis, cui⁹ humidi quattuor esse species alibi docuit, vt in priori capite notauimus.*



Hippocratis sententia de ortu plantarum in libro de natura pueri, ab Aristotelis reprehensione vindicatur. Cap. IIII.

HIppocrates in libro de natura pueri, de ortu plātarum opportune verba faciens, dicit, id quod est grauissimum, descendere, vt ex eo radices fiant, leuissimum vero ascendere, vt inde folia. cui similē sententiam Empedoclis fuisse auctor est Aristoteles secundo libro de Anima, & Theophrastus primo libro de plantarum causis. cumque Empedoclem vterque refellat, hanc quoque Hippocratis sententiā damnasse uidetur. de Empedocle quid dicamus tuto, non habemus, quod uerba eius non extant, quę possimus examinare. si tamen eadem fuit illi, quæ Hippocrati, mens, Aristotelis argumentum dilui facile potest. illud erat, Empedoclem recte non accepisse sursum & deorsum: quoniam hæc eadem non sunt uniuerso ac cęteris, quæ ab eo continentur. in animalibus sursum caput est, cui respondent opere in plantis radices: eæ igitur sursum, germina vero sunt deorsum. quæ reprehensio probanda est, si sursum & deorsum Empedocles, vt in plantis priuatim, non vt in ipso mundo, accepit. Hippocrates vniuersi rationem habuit, quia nō dixit, quod grauissimum est descendere ad radicem, quæ non est: nec quia radix in plantis deorsum sit; quam non explicauit sursum an deorsum putarit esse; ait quidem materiam, ex qua radix futura est, descendere propter pondus, quo præstat alteri, vnde futura sunt folia. descensus vero, & ascensus simpliciter vniuersi ratione dicitur. alioqui necessariū nō est, vt, si leuissimū aliquis concesserit id, ex quo animalis caput fit, det

etiam leuissimum esse id, ex quo radix, quæ opere animalis capiti, aut ori similis est: quoniam in opere, non etiã in natura proportio hæc est: et leue sursum, graue deorsum ferri solũ vniuersi ratione intelligi sic debet, vt nunquã vere, et proprie dici queat, leue descendere. ac forsan in solo homine concessissent, quod est leuissimum, in capitis abijsse naturam, contrario modo, quã plantis euenerit: ille enim solus planta inuersa dictus est. Itaque, vt maxima naturæ diuersitas intelligeretur, quod ex leuissima in homine materia, id in plantis ex grauissima genitũ esse dixissent: cætera vero animalia caput quidem habere, quod radicum munus, æque ac caput hominis, exercet, verum quod neque ex grauissima, neque ex leuissima constare materia dici possit: cum, veluti media inter hominem, ac plantas, neque sublime, vt homo, neque telluri affixum, vt plantæ, caput habeant; quod Aristoteles innuit libro de iuuentute, senectute, & cæt. ad hæc sermo est Hippocrati de primo plantarum incremento, cum primum se in folia, & radices semen explicat, cui respondet in animalium conformatione non capitis delineatio, sed vmbilici productio, quo nutritur animal interea dum aut in vtero, aut in ouo concluditur radicum instar: quare & plantæ vitam viuere animal eo tempore dicitur: vmbilicus autem neque sursum, neque deorsum, sed in medio situs est. ergo, si opere eadem sunt, vel diuersa instrumenta, radices neque sursum, neque deorsum erunt. sed deorsum esse dicuntur, quia in terra sunt, quæ mundi ratione deorsum est, & hominis caput sursum dicitur respectu mundi, non quia, vt ore homines, ita cælo, aut ignea regione mundus alimentum accipiat.

Neque ex dictis ab Hippocrate concluditur, eum negare vim vllam esse præter materiã, opinariq; necessitate, aut casu res oriri: quoniam vt ars ad vsus diuersos aliam, atque aliam materiam requirit, & præparat, sic natura diuersis functura muneribus, diuersaq. ideo postulans instrumenta, idoneam ad singula construenda materiam postulat: fit autem reipsa vmbilicus, vti quoque radix non a graui, aut leui, sed ab animæ potestate. verum ea cum sit in animali præstantior, non adeo, vt quæ in plantis inest, primorum corporum imperio subijcitur: sed imperat ipsa, suoq; magis arbitratu quam illa materiam tractat. plantarum vero ignobilissima est anima, & propter obscuritatẽ, ac potius infirmitatem maxime omnium paret necessitati. & Empedocles fortasse non existimauit in plantis terram, atque ignem loco seiungi, sed significare solum voluit graue elementum in radicis, & leue in foliorum procreatione potestatem magnam habere, cum ex Aristotelis quoque sententia in rebus temperandis natura eam seruet rationem, vt alterutrius contrariorum virtus semper emineat. dici igitur potest Hippocratem loco proposito primam causam nõ attigisse, negasse vero nequaquam concluditur.

Locus Hippocratis de ortu plantarum eodem libro, & Theophrasti primo de plantarum causis notatur. Cap. V.

Libro eodem Hippocrates germinationem scripsit contrario fieri modo in seminibus, atque in plantarijs, quoniam e semine prius radice folium erumpit, e plantario autem radix ante, quam folium, emergit.

Verum

Verum crediderim, Hippocratem nō experimento doctum, sed opinione ductum, aut alicuius auctoritatem sequutum litteris hoc mandasse.

Theophrastus primo libro de plantarum causis generatim dixit, in primo ortu germina præueniri a radicib⁹: ἐν τῇ πρώτῃ γενέσει προτερεῖ ἡ ῥίζα τῶν βλαστῶν quòd altera ex parte sententiæ Hippocratis repugnat, sed & hunc rationem sine sensu sequutum existimo.

Nos in diuersis seminum generibus non folium, vt Hippocrates ait, nec radicem vt Theophrastus, anteuertere, sed eodem tempore folium, seu germen, & radices prodire animaduertimus, radices tamē celerius distingui, & adolescere at nolebat, vt puto, Theophrastus præceptorem suum deserere, a quo didicerat, non omnia simul in animali membra, sed cor primum fieri. Itaque & ipse in plantis radicem nasci prius, quā folium, asseruit, quāuis enim ea sibi placeret assertio, naturam non portionibus, vt artem, sed omnia simul aggredi, aliud vero citius alio absoluere. tamē ne Aristotelem prodidisse diceretur, explicauit eam se tantum recipere, si sermo fiat de augmento, ac nutrimento, non de primordio generationis, in quo vnam quandam partem, breui tamen interuallo, ceteris priorem, vt cor in animalibus, generari affirmat. Hippocrates illud forsan ex alio quopiam accepit, quemadmodum puto, quod Alcmæonem sequutus eodem libro prodiderit, ex oui luteo volucres oriri: quam sententiā Aristoteles redarguit tertio libro de generatione animalium, & tribuit Alcmæoni, quem traditum est Hippocrate antiquiorem fuisse.

Defen-

Defenditur Aristotelis sententia de antiperistasi. Cap. VI.

HErbas nonnulli a frigore ob antiperistasim adu ri dixerunt: quoniam calor sparsim in herbis a natura positus colligitur in vnum a frigore, atque eo pacto fortior factus exurit. Hoc autem bonus Peripateticus concedat nemo: accidit quidem calorem ob circunstans frigus inualescere, at non protinus, ideo factum esse aliquid, asserendũ est, quia id fieri potuerit. Quis hoc doceat, herbas perire vi frigoris potius adaugentis, quam extinguentis calorem; cum ipse Aristoteles eo libro, quo de respiratione quoque disserit, calorẽ a frigore extingui doceat. immo priuatim scripserit, in arboribus a vehementi gelu tabem, & ab æstu vehementi caloris marcorem fieri, omni omissa mentione antiperistasis, vocaueritque sphacelismum & siderationem, de quorũ causis Theophrastus scribens, nihil tribuit circumobsistentiæ, quãuis alias sæpe sententiã præceptoris de ipsa circumobsistẽtia sequutus.

De sideratione quinto libro de causis plantarum inquit. Συμβαίνει δὲ τὸ πάθος, ὅταν ἡ γῆ ξηρανθῇ, καὶ μὴ ἔχωσιν ἕλκειν ὑγρότητα. διὸ καὶ ὑπὸ ἄστρον πλεῖστα. *accidit affectio terra arefacta, quapropter humorẽ, quẽ trahant, non habent: itaque & sub cane plurimum euenit. affert deinceps duas alias siderationis causas, plagas, & vulnera, sed nihil dicit de hac circumsessione, aut obsidione. Sphacelismi causas affert alimenti, tum copiam, tum inopiam, in quibus calor non a circumstante ui cõtrarij, sed vel sponte marcescit. vel ab alimento obruitur, additque vim externam, veluti si fructibus editis gelu succedat potẽs: nam,* ἀποθνήσκει *inquit,* ψυχόμενα. *Moriuntur dum frigescunt, nõ qui-*

dem

dem calore aucto antiperistasi, sed λεπτῆς οὔσης ἔτι τῆς ὑγρότητος διὰ τὴν ἀσθένειαν. quia humor illarũ, inquit, est adhuc tenuis imbecillitate, estq; seri instar & frigidus. τὸ γὰρ ὀρρῶδες λεπτὸν ψυχρόν. quod æque est, ac si dixisset, quia tenuis succus frigidus est, vis in illo caloris imbecilla (cuius omnino expers nõ est, qui in plãtis succus est licet frigidus dicatur, quoniã in eo frigus excellit) facile a vehementi frigore superatur, et extinguitur. itaque vri herbas a frigore dixerim nõ proprie (esset enim proprie, si a circũstante frigore calor augeretur, & ignis excitaretur) sed translatione, propter euẽtus similitudinẽ: quoniã vel alimento transitum prohibendo; quã obrem necessium est calorẽ marcescere; vel calorẽ ipsum extinguẽdo frigus ita herbas arefacit, sicut ignis auctor vstionis proprius cõsueuit.

Quod vero minus ex Aristotelis et Theophrasti sententia antiperistasin aliqui sic vsurpauerint; hoc satis nõ est ad explõdendũ generatim, et vniuerse ipsam de antiperistasi opinionẽ, quã respuit Hieronym⁹ Magi⁹ primi libri Miscellaneorũ capite decimo septimo, locũ illum priuatim notans quarti libri meteor. vbi scriptũ est, frigidum aliquando urere & calefacere, non vt calidum, sed quia congregat, aut obsidet calidũ. Herbæ quidem a frigore noxã percipientes, nihil vel efficiũt, vel patiũtur, quod necessario significet calidũ auctũ, aut valẽtius redditũ, vt ostendimus: tamen sunt alia, quorũ non est probabilior causa, quã cõtrarij circumobsistentia, vt grandinis ortus, & coruscationis, docẽte Aristotele primo ac secũdo libro meteor. hanc nasci calore circũsesso a frigore, illã calore frigus intercludẽte. in altera .n. frigoris opus glacies (est .n. grando glacies) apparet: in altera splendor est igneus, quẽ

calor

calor efficit: etenim idem eſt auctor ſecundo libro meteor. ſpiritu igneſcente coruſcationem fieri. Hippocrates quinta ſectione aphoriſmorum docet, frigidam multam affuſam calorem quibuſdam reuocare, & libro de veteri medicina idem auctor pluribus exẽplis demonſtrat, calidum frigido, et frigidum viciſſim calido cauſam præbere, quæ ſententiam Ariſtotelis de circumobſiſtentia caloris & frigoris plane confirmant. quam ſequuta cum videatur poſteritas omnis (paucis exceptis) comprobare pluribus nõ eſt opus, hoc præſertim loco, vbi eo dumtaxat conſilio de hac ſcripſimus, vt oſtenderemus, non idem eſſe de Ariſtotelis, ac illorũ, de quibus diximus, ſententia iudicium faciendum.

Locus Ariſtotelis alter emendatur, alterius lacuna expletur. Cap. VII.

QVoniam Plinius in hiſtoria animalium magna in parte Ariſtotelem ſecutus eſt, habemus vnde poſſimus nõnullas maculas, quacunq; de cauſa cõtractas, in ipſis Ariſtotelis libris delere, atq; obſcuros locos, propter lacunas vitio temporũ factas, illuſtrare.

Locus eſt quinto de hiſtoria animalium, vbi ſermo eſt de fauis veſparum, & crabronum. σύγκειται δὲ οὐκ ἐκ κηροῦ, ἀλλ᾽ ἐκ φλοιώδους, καὶ ἀραχνώδους ὕλης τὸ κηρίον. *Conſtruuntur non ex cera faui, ſed ex materia corticibus, & aranearum telis ſimili. at faui veſparum, ſeu crabronum ſolidiores ſunt, quam poſſint aranearum telis comparari. Plinius vndecimi libri capite vigeſimo primo, conſtare dixit cortice & & arena: eſt autem cuicumque facile addiſcere materiam, ex qua veſpæ & crabrones fabricantur nidos,*

arenæ similem esse; quasi Plinius legerit in hoc Aristotelis loco, non ἀραχνώδους, quod ab aranea deductū est, sed ἀμμώδους, quod arenam significat.

In octauo autem de historia; cum loquitur de equorum morbis, ac priuatim de vesica laborante; lacuna est. inquit. καὶ ἐὰν ἡ κύστις * σημεῖον δὲ καὶ τούτου μὴ δύνασθαι οὐρεῖν, καὶ τὰς ὁπλὰς, καὶ τὰ ἰσχία ἐφέλκει. *deest igitur verbum, quod ægritudinē vesicæ significare debuit. quod, vt addi possit, ex Plinij libri octaui capite quadragesimo secundo conijcimus. Equo, inquit, fere, qui homini morbi, præterque vesicæ conuersio. ergo de vesicæ conuersione, aut contortione Aristotelem existimo locutum, cuius morbi signa docuit, non posse mingere, vngulas, & femora cōtrahere. vt legi possit,* ἐὰν ἡ κύστις συστραφῇ, *quod est, si vesica conuersa fuerit: nam videbatur verbum supponendum, quod potuisset conuersionem* Plinio *significare, cuiusmodi est,* συστρέφω, *quod aptius videtur, quā illud,* παρακινέομαι, *quod quibusdam placuisse deinde animaduerti.*

Theophrasti locus tertio libro de causis plantarum ab interpretibus male acceptus illustratur. Cap. VIII.

THeophrasti præceptum est tertio libro de causis plantarū, de cuius terræ arboribus sint petendi ad sationem rami, aut stolones, ἐξ ὁμοίας γῆς, εἰ δὲ μὴ, μὴ χείρονος λαμβάνειν. *a quibus verbis ita lectis dubia redduntur sequentia.* ἡ μὲν γὰρ μηδεμίαν ποιήσει μεταβολήν, ἡ δὲ ἐπὶ τὸ βέλτιον: *nam illud quidem recte; si accipias e terra simili, nullam fore mutationem. at, si non ex deteriore acceperis, qui dici potest, fieri muta-*

mutationem in melius? Vel ex ſimili accipitur, vel ex meliore, vel ex deteriore : ex ſimili nulla mutatio. ex meliore nulla in melius. ex deteriore in melius neceſſario mutatio fit. at ſi non ex deteriore, quæ mutatio ſperanda eſt in melius, cum ex meliore non poſsit, ex ſimili nulla ſit? propterea Scaliger, non approbans hoc præceptum, inquit, alio modo digeſsiſſemus nos, quippe ſic, ex bona terra petendas arbores, atque in meliorem transferendas. quæ ſi non inueniatur, at ſaltem in ſimilem, non in peiorem. cumque. Theophraſtus eandem eodem libro ſententiam habeat ſcribens de ſeminibus, τὰ δὲ σπέρματα ἐκ τῶν ὁμοίων, καὶ τῶν χειρόνων ληπτέον, ὅπως μηδεμία μεταβολὴ ἐπὶ τὸ βέλτιον. *Quæ ſignificant nullã fore mutationẽ in melius, ſi ex ſimili et deteriore ſumãtur ſemina. Theodorus Gaza, vt nõ offenderet, illa diſſimulauit,* τῶν χειρόνων, & ἐπὶ τὸ βέλτιον, *vt ſentẽtia eſſet, ex ſimili terra ſumẽda ſemina eſſe, ne vlla mutatio fieret. Scaliger autẽ nihil immutãs, Theophraſti cõſiliũ ſtolidũ vocat, eiuſq; ſentẽtiã penitus dãnat: nã reuera ita ſentiẽdũ eſt, mutationẽ faciendã aut nullam, aut in melius. Verũ in vtroq. interprete diligentia deſiderari iure potuit. eſt enim Theophraſti ſententia recta, præceptumq. optimum, ſumenda ſemina eſſe, item ramos, ſeu ſtolones, & huiuſmodi, ex ea terra, quæ ſit ei, in quam transferuntur, vel ſimilis, vt non fiat vlla mutatio, vel deterior, quoniã hoc pacto mutationẽ fieri in melius neceſſe eſt: ita enim locutus eſt ſecundo libro de plantis.* ἐξ ὁμοίας γῆς, εἰς ἣν μέλλει φυτεύειν, ἢ χείρονος. *ex ſimili vel peiore terra, quam ea ſit, in qua plantare volueris. quo ex loco caſtiganda ſunt verba in aliis corrupta. & primum in verbis, quæ primo loco adduximus, negatio altera delẽda*

eſt,

est, quam par est fuisse additam a sciolo quopiam non intelligẽte, quo lucro de peiore terra semina capiãtur; legendunq; εἰ δὲ μὴ, χείρονος λαμβάνειν. ex terra simili accipito, sin minus, ex deteriore. deinde, vbi de seminibus loquitur, coniunctio addenda est, quæ legitur secundo libro de Plantis. ὅπως μηδεμία μεταβολὴ, ἢ ἐπὶ τὸ βέλτιον, vt nulla mutatio fiat, vel in melius, nonne si ex deteriore sumitur in meliorem transfertur? diuerso dicendi modo sententiã eandem Plinius attulit, decimi septimi capite vndecimo, ante omnia ergo in similem trãsferri terrã, aut meliorem oportet. si in meliorẽ transferri debet; e qua sumitur, necesse est deteriorẽ esse. Sed notandũ est, non debere agricolã studiose malam terrã perquirere, vnde plantaria & semina capiat, sed diligentiã adhibere, vt bonã reperiat, in qua serat, quæ sit etiam melior, quam vnde accipiet semina: sic enim non parũ lucrabitur, cum ex deteriore in meliorẽ locũ trãslata semina, meliorẽ frugẽ sint redditura. itaq. Cõstantinus lib. 2. de agricultura ex Didymo, cũ referret quorundã fuisse sententiã expedire, vt semina ad contraria loca trãsferantur, admonuit, hoc fieri sic oportere, vt ex deterioribus regionibus in meliores, nõ autẽ ex melioribus ĩ deteriores trãsferãtur.

De ouorum putaminibus locus Aristotelis notatur. Cap. IX.

ARistoteles lib. 6. de historia animalium, & 3. de eorundem generatione, scribit, oua dum pariuntur molli putamine emergere: emergentia vero protinus dura fieri, alioqui, si dura excluderentur, laborem parientibus præberent. quã opinionem posteriores etiam, qui de animalibus scripserunt, secuti deprehendũtur, in primis Plinius lib. 11. c. 25. hoc autẽ falsum

falsum esse satis iam perspectum videtur, cum intra al uum ipsarum auium, quæ mox pariture sunt, duro pu tamine oua reperiantur, quod cuiuis licet sumptu leuissimo experiri, scilicet si quam partui proximam viuentem volucrem incidere illum non pigeat, quod est præstantissimum ad veritatem huius rei cognoscendam. alias sunt argumenta, quæ probabiliter demonstrant ita se rem habere. Gallinarij præcognoscunt gallinas oua parituras, aut postridie, aut tertio die, vel omnino citius aut serius, quia tangendo discernunt, molles ne adhuc sint, an iam obduruerint illorum cortices: duri enim a tempore partus parum distant, molles vero non antequam durescant naturaliter pariuntur (quæ enim oua etiã exclusa molli putamine sunt, abortus instar dici possunt, quod debito citius egrediuntur) notauimus aliquando gallinas tam repẽte oua, & illa duro putamine, exclusisse, vt, qui vidisset, nemo potuisset sibi persuadere, tam breui momento temporis extra ventrem illius durum euasisse. manibus etiam gallinam tenuimus, cui repente ouum excidens durum idem persuasit. fregimus etiam in cuiusdam ventre ouum, eaque dissecta apparuerunt putaminis fragmenta omnino illis similia, quæ naturaliter emergunt. cautius autem fecisse natura videtur, vt intus obdurescerent: nam si mollia exirent sæpissime perderentur. estque id tutius, quam si, dum pariuntur, dura fiant. fieri autem posse nulli mirum esse debet, qui animaduerterit, in vtero ac intra ipsa oua fieri ossa lõge ipsis ouorum putaminibus duriora. neque obstat, quod dura sint præbitura dolorem parientibus; quoniam hæc est communis feminarum conditio, vt, ingens ex prole gaudium cum partus dolore maxi-

mo

mo compensent: & videre est tum gallinas, tum alias aues, pariendo plurimũ laborare, editisq; ouis sic anhelare, vt se magnos perpessas dolores aperte significent.

Aristotelis locus de sale, & oleo defenditur. Cap. X.

Salem oleo non liquescere, dictum est ab Aristotele quarto libro meteor. verumque id esse, quotidiano confirmatur vsu. vt mirum sit, doctissimos etiam viros contra litteris mandasse, salem resolui oleo etiam calefacto. Si aqua vel aliquid aquæ simile, aut cum aqua cognationẽ habens, oleo mistum reperiatur, dissoluitur quidẽ, sed nota causa est: nam per se aqua, oleo vero ex accidenti liquescit. ceterum sal in oleo siue calefacto, siue non, solutus nunquam, sed incorruptus, integerque semper inuenitur. accedit magnum huic rei testimonium ex Columellę libri duodecimi capite quinquagesimo, dicentis, oleum congelatum cum amurca sale resolui, & separari ab omni vitio, neque verẽdum esse, ne salsum fiat; nam, inquit, quantuncumque adieceris salis, nihilominus saporem non recipit oleum. cuius non est alia causa, quam, quod sal non resoluitur. alioquin ea, quæ oleo liquescunt, saporem cum oleo cõmunicant, vt resina.

Theophrasti locus notatur de ortu frumentaceorum. Cap. XI.

Theophrastus octauo libro de plantis, & quarto de plantarum causis, scriptum reliquit, frumenta altero capite radices fundere, altero aũt germina. in leguminibus eandem partẽ germina & radices edere.

esse quidem vnum vtrisque principium, sed germen in frumento recta per grani medium transire, summaque parte prerumpere. Plinius septimo capite libri decimi octaui Theophrasti opinionē sequutus est, de hordeo tantum cum scriberet, non de reliquis. quamquam varius videri potest, quod primum inquit, ex hordeo alterum caput grani in radicem exit, alterum in herbam. cęteris seminibus eadem pars, & radicem, & florem. inferius vero eodem capite, inquit, folium quædā a radice mittunt, quædam a cacumine, frumentum & hordeum vtrumque. Verum enim vero si quis diligentior in hac re fuerit, comperiet frumentacea æque, ac legumina, eadem parte radicem, foliumq; seu germen emittere. puto autem falsum fuisse Theophrastum, quod forte Græci triticum, sicut nostri hordeum, auenam & similia, gluma non detracta serebant. Plinius vero in tritico decipi non potuit, quod nostri denudatum granum terræ mandant. de hordeo idem, quod Theophrastus, dixit, quoniam nostri quoque hordeum cum gluma seminant. quod me in hanc ducit sententiam, hoc est. in his, quæ feruntur cum suis folliculis, licet ex eadem parte radix & folium exeant; tamen folium in cacumine tantum sese (exteriora solum intuēti) prodit, ac quasi granum permeare videtur, quod tritico etiam accideret, nisi detracto vallo glumarum sereretur. tamen granum non perforatur folio, quod in eadem parte natum, in qua radix, inter glumam & granum ascendit, tenuique a parte egressum rei ignaro speciem, vt per granum transeuntis, præbet, grano interim integro manente. sæpius hoc experti prodimus: editis enim iam radicibus ac folio, glumam detrahebamus: grano alias integro, folium cum radice

parte

parte craſsiore emerſum apparebat. in tritico res adeo conſpicua eſt, vt decipere neminem poſsit, ſed, & in hordeo idem reperies, ſi abſque gluma ſeueris. parte craſſa primum emergit veluti germen, trianguli fere forma, cuius baſis eſt ſecundum partem ipſam grani craſsiorem, faſtigium vero grani apicem ſpectat. hoc ſeſe promouens folium euadit: illa duas in parteis finditur, quæ vbi paulo amplius prouehuntur, radicis figuram perſpicue repræſentant: hæ vero, vt alibi a *dixi*mus, celerius adoleſcunt, quam illud: quoniam earum opera totius plantæ incremento neceſſaria eſt. propter ea viſæ ſunt naſci ante germina, cum ſimul ortæ celerius tantum perficiantur.*

a Supra.c.5

Varietas lectionis cuiuſdam loci Nicandri perpenditur. Cap. XII.

NIcander ἐν τοῖς θηριακοῖς, *de amphisbæna verba faciens, ſignificabat ipſam omnium ſerpentium primam procedere, quippe quæ ante cicadæ cantum compareat; vt in omnibus, quæ ſcimus, exemplaribus ſcriptum eſt,* ὅτε πρώτιστα πέφανται πρὸ δὲ βοῆς τέττιγος ἐαρτέρου. *vbi ſcholiaſtes pro* τέττιγος, *inueniri* κόκκυγος, *id eſt cuculi, notauit quidem, ſed quid ſentiret de hac varietate non explicauit. mibi ſuſpecta eſt vulgata lectio, quod cicadas appellari vernas conſueuiſſe non memini, ſed æſtiuas, quoniam ſonus illarum æſtate tantum ſentitur, non vere. Heſiodus,* θέρεος καματώδεος ὥρῃ, *inquit, cum cicadarum cantum memorat ſecundo libro opera & dies. at de cuculo dictum eſt ab Ariſtotele, nono de hiſtoria animalium, quod vere apparet, occultatur autem canis exortu. itaque*

vernum posse vocari manifestum est, & amphisbęnā recte dici primam apparere, si ante huius, non si ante cicadæ cantum procedat. propterea existimo rectius scribi κόκκυγος, quam τέττιγος. huc accedit Plinij au ctoritas, qui tricesimi libri capite decimo, & citat Nicandrum, & narratam hoc loco historiam de amphisbæna latina oratione, quamquam vberiore, sic explicat, vt locum hunc interpretatus videatur, & cuculū legit, non cicadam. perfrictionibus, inquit, remedio esse tradit Nicander, amphisbęnam mortuam ad alligatam, vel pellem tantum eius, quinimmo arbori, quę cedatur, adalligata nō algere cędentes, faciliusque succidere. itaque sola serpentium frigori se committit, prima omnium procedens, & ante cuculi cantum.

Galeni locus ab interprete obscuratus illustratur sexto libro de sanitate tuenda. Cap. XIII.

C*Orruptus est Galeni locus sexti libri de Sanitate tuenda capite septimo, interpretis, vt ego arbitror, negligentia, Et eorum quidē, quibus biliosus venter est (sicuti dictum nobis in quarto iam est, & nunc nihilominus dicetur) primi semper ciborum ac potionum sint, qui aluum deijciant, hæc sunt Galeni verba in Latinis codicibus. quæ lectorem inuitant ad legendum librum eiusdem tractationis quartum, vt hæc eadem sententia in eo reperiatur. verum librum illum quantum volueris versato, ac diligenter legito, nusquā eam reperies. cumque dubitari possit in vtram partem referantur illa, sicuti dictum est, in priorem, in qua di*

citur, eorum, quibus biliosus venter est; quasi de hoc hominum genere sit locutus quarto libro; an in sequentem, vbi asserit cibos aluum deijcientes primo loco sumi debere; neutrum in quarto libro, vel consulto, vel casu tractatum est. itaque necessarium visum est Græca consulere. ea vero significant a Galeno intelligi non quartum, sed hunc eundem sextum librum, in cuius tertio capite verba fecit de corporibus calidiore natura præditis, ac priuatim perpendit eorum naturam, qui excremento bilioso abundantes, aut vomitu, aut deiectione illud reijciunt. hi sunt enim, quibus ventrem biliosum esse dicit hoc capite septimo. rem ita se habere persuadebitur facile Græca intuenti, e quibus quoque intelligitur, quomodo interpres in errorem inciderit. τῶν μὲν ἐκχολουμένης τῆς γαστρὸς (εἴρηται μὲν ἤδη καὶ διὰ τοῦ δὲ γράμματος, ῥηθήσεται δὲ καὶ νῦν) ἔσω μὲν ἀεὶ τὰ πρῶτα τῶν ἐσθιομένων, *&c. illa igitur,* εἴρηται μὲν ἤδη καὶ διὰ τοῦ δὲ γράμματος. *vertenda sunt, iam quidem in hoc libro dictum est, dicetur vero & nunc, quem in modum carent difficultate. sed causa erroris videtur fuisse, quoniam illa,* διὰ τοῦ δὲ, *quę significant, in hoc, vel per hunc, interpres legit erasa vocali in coniunctione* δὲ, *legit enim* διὰ τοῦ δ'. *est autem* δ', *numeri nota, & quartum significat, vt* α', *primum,* β', *secundum,* γ', *tertium. itaque ac si legisset,* διὰ τοῦ δ', *vertit, in quarto, at cum in quarto nihil huiusmodi sit, & exemplaria Græca habeant,* διὰ τοῦ δὲ, *in hoc autem, & in hoc (uidelicet sexto libro) sermonem habuerit de natura calidiore, ut ante dixi, restat ut fidus interpres hunc in modū transferat. Dictum est quidem iam in hoc libro; non autem,*

ſicuti dictum nobis in quarto iam eſt: quoniam illud verum eſt, hoc autē falſum, nec Græcis verbis reſpondet, atque cogit nos fruſtra de Galeni diligentia, & libri quarti integritate dubitare.

De vulgari partitione medicinæ in theoricam & practicam. Cap. XIV.

CVM medicina vere ſit artium vna, vulgatiſsima illa partitio in theoricam & practicam, quā peperiſſe Arabum ſchola videtur, improbanda penitus eſt. nā theoria & praxis, Græca ſunt, a quibus nomina ſumpſere habitus quidam mentis adeo inter ſe diuerſi, vt vnus, atque idem recipere vtramque appellationem minime debeat, niſi cuncta confundere ac perturbare velimus, de qua re nihil dicendum eſſet, ſi cum barbaris tantum res ageretur; ſed & viri politiores non pauci in communi errore verſantur.

Diuidendi ratio, & via non patitur, vt ſpecies aliqua diuidatur differentijs, quæ eiuſdem ſpeciei generi ſint æquales. quis enim animalis genus ita diuidat, vt dicat aliud pennatum eſſe, aliud pilis hirtum, aliud contectum ſquamis, ac deinde gallinam, quę pennati ſpecies quædam eſt, dicat aliam pilis, aliam ſquamis indutam eſſe quod monſtrum afferre iudicabitur? huic par eſt, hæc medicinę partitio nam Ariſtoteles ſexto libro Metaphyſicæ, ἡ ἅπασα, inquit, διάνοια, ἢ πρακτικὴ, ἢ θεωρητικὴ, ἢ ποιητικὴ. Omnis cogitatio aut practica, aut theorica, aut poetica (latinitatis ſtudioſus fortaſſe mallet, omnis cogitatio, aut ad agendum, aut contemplandum, aut ad efficiendum idonea) & Galenus libro de conſtitutione artis medicæ agens de medi-

cinæ genere, inquit, ἆρα γε τῶν δὲ θεωρητικῶν ἐστι μία τις, ἢ τῶν πρακτικῶν, ἢ ποιητικὴ τις, ἢ κτητική; An theoreticarum, aut practicarum vna quædam est, aut poetica, seu effectiua, quædam, aut poßeßiua? cum igitur æqualia hæc sint, Theoreticum (quod male theoricum dicunt) Practicum, Poeticum, & ars sit poetica, ἕξις ποιητικὴ, & medicina ars; perperam medicina secatur in theoricam, & practicam. Galenus eodem de constitutione artis ποιητικὴν, appellauit. neque est enim in ea quidquam, quod effectionem, ποίησιν, non respiciat. quod si qui sint, qui medicinę studium aliquod impendant, sed medicinam non faciant; ideoque ab idiotis theorici vocantur. hoc non obstat sententiæ nostræ, quoniam metaphorice, non autem proprie sic appellantur: quia sicuti theoreticę facultatis finis est contemplatio, ita finis eius, qui præcepta medica nouit, sed munere medici, quod nunquam exercuit, fungi nescit, in ipsa contemplatione positus videtur. sed hoc accidit, non autem per se inest in medicina. dicereque theoricum aliquem, qui non sit practicus, aut practicum, qui non sit theoricus, & practica hos, theorica illos excellere, vulgo rei huius ignaro concedi potest, at medicum ita sentire turpissimum duco. nam, cum nihil est in arte medica, quod ad muneris functionem non spectet: tum sicut poeta non est, qui poemata facere ignorat, nec pictor qui nescit pingere, ita medicus ille non est, qui medicinam facere nescit. quodque aliquis præcepta cuiuscumque artis memoriæ ita mandauerit, vt ea quoque possit memoriter pronunciare, sed fungi munere illius artis non calleat, non magis nomen meretur artificis, quam si quis non præcepta edidicisset, sed librum eiusdem artis in bibliotheca sua reconditum haberet, quem

 legere

legere ſuo arbitratu poſſet. ars ab habitu ſeiungi nequit, habitus autem non ſine exercitatione & frequenti rerum vſu comparatur. duplex igitur in hac partitione fuit auctoris culpa. altera in abuſu vocabulorũ, θεωρία, & πρᾶξις, quę non bene in artibus vſurpantur. altera, quod medicinam partitus eſt, & diſtinxit differentijs ipſi generi medicinæ æqualibus.

Ariſtotelis locus de etymo vocabuli, quo Græci gulam ſignificant, hactenus non recte perceptus, exponitur. Cap. XV.

ARiſtoteles primo libro de hiſtoria animalium videtur ſignificare, quod gulę nomen Gręce, ὀισοφάγος, dictum fuerit, ἀπὸ τοῦ μήκους καὶ τῆς στενότητος, quod eſt, a longitudine, & anguſtia: cum tamen in hoc uocabulo nihil ſit, quod uel longitudinem, uel anguſtiam ſignificet, ac ſatis perſpicue appareat dictum a cibi delatione. quamobrem ſcriptum a quodam uiro doctiſsimo animaduerti, neſcire ſe qua ratione Ariſtoteles hoc dixerit, quod tamen (ni fallor) intelligi facile poteſt, ſi Ariſtotelis uerba accuratius conſiderentur. non enim ſcripſit, nomen hoc ὀισοφάγος, dictum etymon habere; ſed eam partem, cui nomen eſt, οἰσοφάγος, cognomen habere, cuius etymologia eſt, quam dixit, a longitudine & anguſtia, ἐντὸς δὲ τοῦ αὐχένος inquit, ὅ τε ὀισοφάγος καλούμενος ἐστιν ἔχων ἐπωνυμίαν ἀπὸ τοῦ μήκους, καὶ τῆς στενότητος. id eſt, intra ceruicem eſt, qui vocatur æſophagus, cognomen habens a longitudine, & anguſtia: aliud autem ſolet eſſe nomen, quam cognomen, illud ὄνομα, hoc ἐπωνυμία eſt, & ſi aliquando ἐπωνυμία,

etiam

etiam dicitur nomen. dico igitur gulæ siue æsophagi cognomẽ stomachũ esse: & vocabulũ στόμαχος, videri dictum, quasi στένον μήκος, quod est, angusta longitudo.

Quod autem stomachus cognomen sit, Galenus docet principio quarti libri de vsu partium, his verbis. ὄνομα δὲ τῆς εἰσόδου ταύτης τὸ μὲν ἴδιον οἰσοφάγος, τὸ δὲ κοινὸν στόμαχος. *Si proprium nomen est oesophagus, commune vero stomachus; nec aliud est cognomen, quam commune nomen, quod euentu aliquo sibi quispiam vendicat; stomachus ergo cognomen est. iure autem res sic habet. nam oesophagus ideo videri debet proprium huius partis nomen, quia desumptum est, ab ea functione, quæ huius partis propria est, hac enim cibus, ac potus in uentrem defertur. stomachus autem, ut sit commune nomen Galenus eodem loco late exponit inquiens,* ἁπάσης γὰρ κοιλίας ὁ προτεταγμένος αὐχὴν στενὸς οἷος ἰσθμός τις οὕτως ὀνομάζεται. *Omnis enim uentris protensa ceruix angusta velut isthmus ita nominatur. at non solus, qui uenter primus deuoratos accipit cibos, huiusmodi forma ceruicem habet, sed uterus quoque & uesica: atque ideo apud Hippocratem in libro de aere, aquis, & locis, legitur* στόμαχος τῆς κύστιος, *idest, collum uesicę, & libro de superfętationibus, de sterilibus, & de morbis muliebribus* στόμαχος τῆς μήτρας, *collum uteri. neque existimare quisquam debet, rectius uerti os, quam collum, quoniam Erotianus tradidit tum uteri, tum uesicę collum, ab Hippocrate stomachum uocari, & ipse Hippocrates aliquando sic utitur hoc uocabulo, ut necessarium sit, non os, sed collum intelligere, ut cum lib. de superfactat. inquit,* στόμα τοῦ στομάχου τῆς μήτρας

os sto-

os stomachi vteri, vt tria sint diuersa, vterus, stomachus, & os stomachi. igitur stomachus non os, sed collum, eo loco significat. gula autem, quia similis est collo vesicæ & vteri, quod stomachus a Græcis est dictum, ideo stomachi appellationẽ vsurpauit: est enim omnium angusta quædam longitudo. quod vero gula sibi ita hoc commune nomen asciuerit, vt cognomen eius recte dici potuerit; ex eo cognoscitur, quod sæpe stomachi solius nuncupatione, gula significatur, tam apud latinos, quam Græcos. at pro vteri, aut vesicæ collo nunquam accipitur, nisi addito nomine vel vesicæ, vel vteri. vuluæ & vesicæ ceruicem Celsus passim nuncupat. & apud Hippocratem στόμαχος τῆς κύστιος, & στόμαχος τῆς μήτρας, *sæpe legitur. neque his Galenus contraria dicit, octaui libri* κατὰ τόπους, *capite primo, & decimi tertij methodi capite decimo septimo, vbi gulam proprie stomachum vocari scribit: nam in ijs locis sermo est de diuersis partibus, quibus inditum idem nomẽ fuerat. scilicet de gula & ore ventriculi, quæ stomachi nomine significabantur. de his igitur scripsit, gulam proprie, ventriculi autem os improprie stomachum dici. at nunc de vna parte sermo est, cuius duæ sunt appellationes, altera propria, altera communis, propria est æsophagus, communis est stomachus. est autem ita communis, vt propria quoque dici possit, si comparatio partium fiat, non autem nominum, sicut homo viuens communi appellatione animal dicitur, quoniam propria homo est: sed si cum depicta imagine comparetur, proprie animal dicitur, imago autem improprie. est igitur* στόμαχος, *gulæ cognomen cuius etymon est, angusta longitudo,* στενὸν μῆκος, *vt dictum est. & hoc Aristoteles intellexit.*

quod

quod fortasse pluribus, quam par erat, exposuimus; sed res noua vix paucioribus illustrari posse videbatur.

A. Gellij locus de arteriarum appellatione notatur. Cap. XVI.

A. Gellius decimo capite libri decimi octaui Taurum, philosophum sui temporis, Athenis inducit arguentem medici cuiusdam imperitiam, qui, cum ipsi Gellio medicinam laboranti facturus præsto esset, Tauro præsente, forte fortuna venam pro arteria nuncupauit. quem tamen vt antiquitatis studiosum probare vterque debuisset, præsertim Gellius antiquarum lectionum magister tantus. quoniam ille medicus antiquo more venæ vocabulo vsus est.

Notatum est a Galeno sæpius, apud Priscos venæ appellatione promiscue venas, & arterias venisse, nec id solum, sed & alios ante se hoc idem animaduertisse testatus est. quos autem auctores intelligat, nec ipse exposuit, nec nos diuinare necessum est. scimus quidem hoc legi in onomastico, cuius auctor Erotianus fertur, & ex ijs, quos Galenus memorauit, Rufum [a] *Ephesium hoc idem scriptis tradidisse. est autem præcipuus auctor Aristoteles* [b], *qui passim arterias venarum vocabulo designat, & ἀορτὴν, quæ arteriarum citra controuersiam præcipua est, venam appellat: & arteriæ vocabulo iter illud designat, quo ab ore in pulmonem spiritus ducitur. Hippocrates etsi venas ab arterijs seiungit, sicut libro περὶ τροφῆς, cum inquit, ῥίζωσις φλεβῶν ἧπαρ. ῥίζωσις ἀρτηριῶν καρδίη; tamen aliquando venam pro arteria dicit. Galenus*

[a] Lib. 1. c. 3. de appella. part. humani corp.

[b] 3. lib. de histor. anim.

a 6. lib. de decr. Hip. & Plat. c. 9.

nus, locum attulit ex secundi libri de morbis vulgaribus sectione quinta, οὗ ἂν ἡ φλὲψ ἡ ἐν τῷ ἀγκῶνι σφύζῃ μανικός, & cæt. cuius vena, quæ est in cubito pulsauerit, furiosus, & cæt. ego idem notaui in coacis prænotionibus, ἐν πυρετοῖσι κατὰ φλέβα τὴν ἐν τῷ τραχήλῳ σφυγμὸς καὶ πόνος ἐς δυσεντερίην ἀποτελευτᾷ. in febribus, in vena colli pulsus, & labor in difficultatem intestinorum desinit. item οἷσιν ἐν πυρετοῖσι φλέβες αἱ ἐν κροτάφοισι σφυγματώδεες. quibus in febribus vena in tẽporibus pulsant. item τῶν πυρεσσόντων οἷσι μὲν ἐρυθήματα ἐπὶ προσώπων, καὶ πόνος κεφαλῆς, καὶ σφυγμὸς φλεβῶν, αἵματος ῥύσις τὰ πολλὰ γίνεται. Febrientium quibus rubores in facie sunt, & capitis dolor, & pulsus venarum; sanguinis fluxio plerumque contingit. legitur etiam quarto libro de morbis vulgaribus. φλεβῶν σφυγμοὶ παρ' ὀμφαλόν, pulsus venarum iuxta vmbilicum. eodemq; modo venarum a Platone vocabulum vsurpatum Galenus asserebat. & in eodẽ Erotiani onomastico legitur, Democritum arteriarũ motionem vocasse, φλεβοπαλίην. quasi venæ subsultum. Latini quoque & eorum præcipui arterias dixerunt venas. M. Cicero aliquando distinguit inter venas quidẽ et arterias, vt secundo libro de natura Deorum, inquiens, sanguis per venas in omne corpus diffunditur, & spiritus per arterias. tamen venas etiam moueri, & agitari alibi dicens, pro arterijs venas accepit, vt libro de fato, si cui venæ sic mouentur, is habet febrem. non & huic venæ sic mouentur, & febrẽ is non habet. sic etiam apud Senecam, tertio libro naturalium quæstionum, separantur venæ ab arterius, vbi scriptum est, placet naturæ regi terram, & quidem ad nostrorum corporum exemplar, in quibus

bus & venæ sunt, & arteriæ, illæ sanguinis, hæ spiritus receptacula. at quarto libro venæ pro arterijs sumuntur, vbi hæc sunt; febris est, & quidem eo acrior, quod non tactu venarum, nec in cutem effuso calore deprehenditur. item libro sexto, scriptum est; quemadmodum in corpore nostro dum bona valetudo est, venarum quoque imperturbata mobilitas modum seruat, vbi aliquid aduersi est, crebrius micat. Plinius[a] *alibi distinguens venas inter & arterias, & pulsum peculiariter in arterijs agnoscens, inquit. Inter hoc latent arteriæ, idest spiritus semitæ, his innatant venæ, idest sanguinis riui. arteriarum pulsus in cacumine maxime membrorum euidens, index fere morborum, in modulos certos, legesque metricas, per ætates stabilis, aut citatus, aut tardus, descriptus ab Herophilo medicinæ vate nimiam propter subtilitatem deserto. alibi vero pro arterijs venas appellat inquiens, dissederunt eæ scholæ, & omneis eas damnauit Herophilus in musicos pedes venarum pulsu descripto per ætatum gradus.*

a lib. 11. c. 37.

Si quis autem dubitet, quoniam Latini doctores hi in alieno negocio labi potuerunt, quemadmodum cum Cicero, μεσεντέριον, medium appellauit intestinum, quod tamen intestinum non est, sed pars supra intestina, vt ab Aristotele scriptum est; is adeat Corneliū Celsum, qui quoque, diuersam licet agnoscat venam ab arteria, cum[b] *inquit, iuncta enim est vena arterijs, his nerui; tamē pro arteria venā non semel dicit, vt in his,*[c] *ergo protinus insania timenda est, vbi raro quis, & vehementer spirat, venasque concitatas habet. & in illis,*[d] *venis maxime credimus fallacissimæ rei, quia sæpe istæ leniores, celerioresque*

b Lib. 2. c. 9.
c lib. 2. c. 6.
d Lib. 3. c. 6.

sunt,

sunt,& ætate,& sexu, & corporum natura. & paulo post, coutra sæpe eas concitat & resoluit. & infra, quas autem venas conspectus medici mouet, quam facile mille res turbant. item infra, protinus quidem scire non febricitare eum, cuius venæ naturaliter ordinatæ sunt. item, si venæ non æquis interuallis mouentur.

His igitur auctoribus ac testibus, Gellij ac Tauri philosophi aduersus medicum damnandum iudicium est. & ob id maxime arguendus Gellius videtur, quod quę scripserit non animaduerterit. nam in eodem loco definitionem pulsus de Gręcis ac vetustis medicis attulit, nec vidit in ea venæ & arteriæ vocabula confundi. σφυγμός ἐστι παλμὸς ἢ ζέσις φλεβὸς ἢ ἀρτηρίας.

De cœnæ tempore apud Romanos breuis adnotatio. Plutarchi locus de cœna male acceptus exponitur. Cap. XVII.

COEnæ tempus Athenis frequens erat, vbi iam vesperauerat, vt scriptum est ab A. Gellio, capite octauo libri decimi septimi. Romæ vero antequam aduesperasceret, non æstate tantum, sed etiam hyeme. quod vno Vitruuij loco in præsentia libet exponere. hic enim septimo capite libri sexti, monet hiberna, triclinia occidētem hibernum spectare debere, ideo quod vespertino lumine opus est vti. triclinium locus erat in ædibus cœnæ destinatus. si igitur hyeme opus erat Solis lumine ad vsum tricliniorum, sequitur cœnæ tēpus hyeme fuisse ante Solis occasum. nec obijciat quispiam triclinia illa sic extructa, non vt cœnantibus Solis lumen inseruiret, sed vt cœnaturis locus tepefieret; quoniam & luminis, & caloris vsum separatim Vitruuius

uius explicauit:nam dictis de lumine subiunxit, præterea quod etiam Sol occidens, aduersum habens splendorem, efficit vespertino tempore regionem tepidiorē. itaque tam luminis, quàm caloris vsus aliquis erat.

Quod vero sæpius comedere apud Romanos turpe fuerit, mihi compertum non est. vir quidam doctissimus Plutarchum auctorem produxit, qui dixerit infames quondam habitos, qui ante cœnam quicquam edissent, sed hoc neque verbis respondet, neque rei, de qua Plutarchus locutus est. namque sexto problemate libri octaui sympos. narrabat iocosam inter adolescentes quosdam controuersiam, ob id exortam, quod alteri illorum tardius, alteri vero celerius ad conuiuium accessissent. inducebatque conuiuarum quendam adolescentes cunctatores illa ratione excusantem, quod cœnare maturius apud antiquos indecorum ac turpe habitum esset. hoc igitur, quod ait; citius cœnare; acceptum est pro eo, quod est, ante cœnam comedere, sed nō facit ad rem: quia de tarditate, & festinatione ad cœnandum lis erat; non autem, quod aliquis ante cœnam comedisset, arguebatur. verba illius hęc sunt. τὸ μὲν τοι πρότερον δειπνεῖν ὄνειδος ἦν πάλαι. quę non significant, quod edere ante cœnam, sed quod tam cito cœnare opprobrium fuerit. ea vero sic oportet interpretari (si verbum velimus verbo reddere) prius cœnare dedecus quondam erat. quam sententiam sequentia confirmant: etenim idem conuiua, ad probandum, quod turpitudine notabantur citius cœnantes, dicebat, cœnam tam celerem vocatā fuisse ἀκράτισμα ἀπὸ τῆς ἀκρασίας, idest, ab incontinentia. cui obiectioni alter, qui cito ad cœnam profectos tuebatur, occurrebat negādo, cœnam appellatam esse ἀκράτισμα, & cum putaret

hoc vocabulum originem habuisse, ἀπὸ τοῦ ἀκράτου, id est, a mero; quod mane potabant, qui cœnandi tempus expectare ieiuni non poterant; asserebat idem videri esse, τὸ ἀκράτισμα, & τὸ ἄριστον, id est, prandium (vt Athenæus quoque primo libro Dipnosoph. *interpretatur) quod aliud sit, quam τὸ δεῖπνον, id est, cœna. itaque infirmo argumento aduersarium comprobasse, quod cœnare maturius conuicium fuerit; atque ideo non esse arguendos, qui celerius ad cœnam ierant. itaque nihil ex hoc loco sumi potest, ad demonstrandum, quod indecorum fuerit comedere ante cœnam. immo neque si etiam dictorum verborum ea sententia esset, quam doctus vir existimauit: quoniam illa in posteriore orationis parte reijcitur; negante altero ἀκράτισμα, dictum ἀπὸ τῆς ἀκρασίας; quo etymo nitebantur, qui asserebant citius cœnantes turpitudine quondam notatos esse.*

Qui cibi ab antiquis plurimi fierent, & quibus in locis excellerent, Cap. XVIII.

QVorum ciborum pretia apud antiquos vigerēt, videre est maxime apud Plinium sexto libro, apud Clementem Alexandrinum secūdo pedagogiæ, apud Gellium ex Varrone, apud Macrobium, *apud poetas potissimum* Horatium, *&* Martialem. *Colligebam ego ex omnium dictis, maiori cura antiquos in quærendis piscibus, & auibus, quam quadrupedibus esse versatos, maximeque in piscibus. nam maiori vbique numero piscium genera narrantur, & sæpe tum hi, tum aues memorantur, quadrupedum mentio posthabetur. Non me Lucrina iuuerint conchylia,*

inquit,

inquit, Horatius, a Magisue Rhombus aut Scari, Si quos eois intonata fluctibus Hyems ad hoc vertat mare. Non Afra auis descendet in ventrem meum; Non Attagen Ionicus. Plinius, b mergi enim credo in profunda satius est, & ostrearum genera naufragio exquiri, aues vltra Phasidem amnem peti. Suetonius c famosissimam cœnam Vitellio datam a fratre memorans, duo millia lectissimorum piscium, septem auium apposita scribit, quadrupedis autem nullius meminit. item recensens Vitellij eiusdem lautitias, quas commiscuerat in dedicatione magnæ illius patinæ, quam Miner*uæ clypeum dictitabat, in hac, inquit, scarorum ionora, phasianorum, & pauonum cerebella, linguas phœnicopterum, murænarum lactes, &c. quibus verbis quadrupedis alicuius nulla mentio. rursus Plinius d de soricibus verba faciens, Censoriæ, inquit, leges, princepsque M. Scaurus in consulatu non alio modo cœnis ademere, quam conchylia, aut ex alio orbe conuectas aues. His igitur & similibus persuadetur, quadrupedum minus, quam auium ac piscium, studiosos veteres, potissimum Romanos, fuisse. illa vero apud eundem e Tripatinum, inquit Fenestella, appellabatur summa cœnarum lautitia, vna est murænarum, altera luporũ, tertia myxonis piscis; probant omnium maxime pisces expetitos, atque in pretio fuisse. propterea scriptum puto ab Athenæo f obsoniuoros dictos, non qui carnem bouinam quærunt, sed qui in foro piscium versantur, & obsonij nomine pisces præsertim venire, & videre est, vbi obsoniuori quidam illustres ab eodem g recensentur, totũ fere sermonẽ esse de piscibus, auium vix vllam, quadrupedum omnino nullam mentionẽ fieri, & ὀψάρια, apro pisciculis dicta*

a Epodon. libro.
b lib. 9. c. 4.
c In Vitellio.
d 8. li. c. 57.
e lib. 35. ca. 12.
f lib. 7. c. 1.
g 8. lib.

[a] Suida. Grammatici [a] obseruarunt. locus est Strabonis non ignorandus libro Geographiæ decimoseptimo, his verbis, inquit Aristobulus, nullum e mari recurrere obsonium in Nilum exceptis Cestreo, Thressa, & Delphino. hæc ait, quibus τὸ ὄψον pro pisce sumtum esse perspicuum est. non tamen negandum est, quadrupedes eisdem curæ fuiße: cum ex his etiam nonnullas studio non minimo in vrbem aduectas legamus. non solum enim capræ medicæ, vt a Varrone [b] proditum est, & hædi Tyburtini, de quibus Iuuenalis [c] locutus est, apportabantur. sed etiam duo leporum genera, quorũ idem Varro [d] mentionem fecit. alterum, quod in Gallia nasci dicit, totum candidum, quod raro perferebatur Romam alterum, quos cuniculos vocant, qui in Hispania nascebantur, quos etsi Varro aduectos fuisse Romam, neque ait, neque negat, perferri tamen potuisse indicauit, inquiens, omnium horum tria genera si possis in leporario te habere oportet. duo quidem vtique te habere puto, & quod in Hispania annis ita fuisti multis, vt inde te cuniculos persecutos credam, & cet. quod vero huc deinceps aduecti fuerint, notissimum est, illorumque mentionem Galenus facit, tertio libro de alimentorum facultatibus, dicens lepori similes esse, & in Iberia proprie nasci. meminit & Atheneus, [e] ex Polybio & Posidonio. de eisdemque Plinius [f] dicebat, exsectos fœtus, aut ab vberibus ablatos, repurgatis interaneis, gratissimo in cibo habitos esse. quibus addet aliquis ex Gallia si non sues, saltem pernas Tomacinas, & Taniacas, & Petasiones in vrbem allatos Varrone [g] auctore; quod & Strabo [h] testatus est, dicens ex ea parte Galliæ, quæ inter Renum & Ararim sita est, condimenta e suillis carnibus Romam deferri.

[b] 2. libr. de re rust. c. 3.
[c] Sat. 11.
[d] 2. libr. de re rust. c. 12.
[e] 9. lib. 222
[f] 8. li. c. 55.
[g] 2. li. de re rust. c. 4.
[h] 4. lib. geograph.

item illud Martialis[a] *lacte mero pastum pigræ mihi matris alumnum Ponat, & Aetolo de sue diues edat. sed infinita res est curiose singula persequi velle.* [a] lib.13.

Varronis verba potissimum perpendebamus, quæ id, quod initio proponebatur abunde ostendunt. leguntur hæc apud Gellium septimi libri capite decimo sexto. Pauus e Samo. Phrygia Attagena. Grues medicæ. Hœdus ex Ambracia. Pelamis Chalcedonia. Muræna Tartesia. Aselli Pesinuntij. Ostrea Tarentina. Pectunculus Chius. Elops *Rhodius. Scari Cilices. Nuces Thasiæ. Palma Aegyptia. Glans Iberica.*

Quod igitur ad Pauones attinet, occurrebant illa eiusdem Varronis,[b] *Pauonum greges agrestes transmarini esse dicuntur in insulis Sami in luco Iunonis, & in Planasia insula M. Pisonis. propterea dictus est Samius, & Iunonius, cum & Samus & Pauo Iunoni sacer a veteribus dictus sit, quam auem Samij tantum coluere, vt eius nota nummos signauerint, vt est auctor Athenæus,*[c] *Attagenem Horatius*[d] *& Martialis,*[e] *hic masculino, ille fœminino genere Ionicum appellant. & Plinius*[f] *maxime Ionium celebratum asserit (sed Ionia non adeo distat a Phrygia) at Clemens*[g] *Alexandrinus Aegyptiam dixit Attagenam. Grues Melicæ. cur hoc Varro dixerit non est dictu facile. non dubito quin grues in mensas venerint. hoc enim testatur Galenus tertio libro de alimentorum facultatibus, & Pollux*[h] *indicauit, sed etiam fuisse valde expetitas*[i] *Plinij verba declarant. Cornelius Nepos, qui D. Augusti principatu obijt, cum scriberet turdos paulo ante saginari cœptos, addidit Ciconias magis placere, quam grues, cum hæc nunc ales inter primas expetatur, illam nemo velit attigisse. dubitari tamen potest,*

[b] 3.li. de re rust.c.6.
[c] 14.li. dipnos.
[d] Epodon lib.
[e] lib.13.
[f] 10.li.c.48
[g] 2.lib. pedag.c.1.
[h] 6.lib.c.9.
[i] li.10.c.23

quoniam ex hoc, quod de Cornelio Plinius dixit, conicitur Varronis ętate Ciconias magis placuisse, quam grues. cur igitur inter primas a Varrone grues numerātur? insuper dubitatio maior est, cur dictæ sint grues Melicæ: quoniam cum Aristoteles octauo libro de historia animalium dicat a Scythia, ad paludes supra Aegyptum grues transuolare dimicaturas cum Pygmæis, non intelligo, quid ab insula Melo, seu Media (nā a Varrone[a] Media vocatur, accusante illos, qui Melicā dicunt non Medicam) consequi potuerint, quam ob rem præferri ceteris Melicæ debuerint. videbunt viri docti si forte legendum fuerit, capræ Melicæ, quas idem auctor, vt ante diximus, in primis probatas memorat. quamobrem Pollux,[b] & Clemens[c] Alexandrinus, & Athenæus[d] Hædos Melicos probatos tradiderunt. Caprarumque mentionem apud Varronem iure sequebatur Hædorum commemoratio: quamquam non ex Melo, vt illi, sed ex Ambracia laudatiores aduectos dixerit. non possum autem adduci, vt existimem, hædum ex Ambracia a Varrone dictum piscem esse (vt aliqui putarunt) quem Athenæus,[e] κάπρον, appellauit, & in Ambracia vendi solitum Archestrati carminibus citatis demonstrat. Pelamis Chalcedonia. volucrem esse hanc quidam scripsit, sed male. sunt Pelamides ex Aristotelis[f] sententia Thynni nondum adulti, qui scilicet, vt ait Plinius,[g] nōdum tempus annuum excessere. Scriptumque legitur ab eodem Plinio Chalcedone magnā earum penuriam fuisse, omnem Bizantij capturam. ergo Chalcedone præstantiores, forte, quia vt pauciores, ita pinguiores, ac suauiores, item audaciores, quia causa, quæ alias perterret, superata, Chalcedonem appellere non verentur, alijs præcipiti agmine Bizantium petenti-

a 3. libr. de re rust. c. 9.

b 6. li. c. 10.

c 2. li. pędagog. c. 1.

d 1. li. dipn.

e 7. li. dipn.

f 4. libr. de histo. animal.

g 9. li. c. 15.

tentibus. Murænam Tartesiam Pollux [a] quoque memo- a
rauit, inter pretiosa antiquorum edulia, sed idem Var- 6. li.c. 10.
ro secundo libro de re rustica optimam in Sicilia dixit b
esse. item Iuuenalis, [b] Virroni muræna datur, quæ ma- Sat.6.
xima venit gurgite de Siculo. & Macrobius, [c] inquit, c
accersebantur murænæ ad piscinas nostræ vrbis ab vs- 5.lib. Sat.
que freto Siculo, quod Rhegium a Messana despicit. v- c.15.
bi docens cur flutæ dicerentur, locum Varronis ex li-
bro eius, qui inscribitur Gallus, affert, hęcque ex eo
transcribit verba. in Sicilia quoque manu capi muræ-
nas flutas, quod hæ in summa aqua præ pinguitudine d
fluitant. Plinius [d] quoque Siculas commendatas esse 9.li. c.54.
testatus est. ego vero miratus sum Columellam, cui iu-
cunda fuit semper sui commemoratio municipij, lactu-
cam Tartesiam celebrasse [e] carminibus, Tartesiam mu- e
rænam silentio præterijsse, cum alias [f] murænam inter 10.lib.
pisces magni pretij retulerit, & vetustissimus auctor f
Aristoph. in ranis Tartesiæ murenæ mentionem fece- 8. li.c.16. & 17.
rit. Archestratus apud Athenæum [g] ex Italiæ freto g
petendas cecinit. scilicet idem Siculum, & Italicum 7.lib.
dici potest. Aselli Pesinuntij. Asellos præcipuam ha-
buisse auctoritatem Plinius [h] scripsit Cornelium Ne- h
potem, & Laberium poetam mimorum secutus. Pe- 9.li. c.17.
sinuntios autem priuatim laudatos, quis præter Var- i li.9. c.54.
ronem tradiderit, non occurrit. Ostrea Tarentina k
Varro. Brundusina petita Plinius [i] tradidit. Ar- 3.lib.
chestratus apud Athenæum [k] propter ostrearum l
magnitudinem Abydum celebrauit, quamobrem for- 1.li. georgicon.
san a Vergilio ostriferum Abydum dictum est. m
Horatius [l] ostrea Circeijs, Miseno oriuntur echi- 2.li.serm. Sat.4.
ni. Pectunculus Chius. Plinius [m] seorsim Pe- 32.li.cap. vltim.
ctines & Pectunculos nominat. quidam tamen

eundem piscem vtroque nomine signatum putant. laudatissimos igitur Pectines ait Plinius Mytilenis, Tyndaride, Salonis, Altini, Antij, in insula Alexandriæ
a eod.sat. *Aegypti. Horatius.*[a] *Pectinibus patulis iactat se mol*
b *le Tarentum. Athenæus* [b] *Mitylenæos, Methymnæos,*
3.lib *& ex Ambracia probatos significat. Pollux* [c] *& Cle*
c *mens*[d] *Alexandrinus Methymnæos. Elops Rhodius.*
6.lib. *rursus varro* [e] *secundo libro de re rustica hunc piscem*
d *Rhodi optimum fuisse scripserat. item Plinius* [f] *qui*
2.lib.pædag.c.1. *rursus dixerat.* [g] *apud antiquos piscium nobilissimus*
e *habitus acipenser, vnus omnium squamis ad os versis*
cap.6. *contra aquam nando meat: nullo nunc in honore est.*
f lib.9.c.54 *quod quidem miror, cum sit rarus inuentu. quidã eum*
g *Elopem vocant (forte Apionem Grammaticum intelligebat, qui hoc scripsit, vt* [h] *Atheneus testatus est) ta*
cap.17.
h *men*[i] *alibi de Ouidij auctoritate negabat eundem esse*
7.li.dipn. *Elopem & Acipenserem argumento, quod in nostro*
i 32.lib.ca. *non nascitur mari, ita significans acipenserem in eo na*
vlt. *sci, inquit, Elopem quoque dicit esse nostris incognitũ*
k *vndis. ex quo apparet falli eos, qui eundem acipense-*
lib.8.c.16 *rem existimauerunt. Columella* [k] *quoque dixit Pam-*
l eod.loco. *phylio pelago non alibi nasci. addidit Plinius,* [l] *Elo-*
m *pi palmam saporis inter pisces multi dedere. Scari Ci-*
9.lib.c.17 *lices. Plinius*[m], *Nunc Scaro datur principatus, qui solus piscium dicitur ruminare herbisque vesci non alijs piscibus, mari Carpathio maxime frequens. sed eodem fere tractu est Carpathium pelagus & Cilicium, a quibus non multum Ephesus distat, vbi vendi solitum scarum Archestratus*
n Athenæ *dicebat* [n] καὶ σκάρον ἐξ Ἐφέ-
7.lib. *σου ζήτει. quamquam idem auctor est in Carthaginẽsi*
o *quoque littore inueniri, ac Bizãtij. Nuces Thasiæ. has*
li.15.c.22 *ætate etiam sua celebratas Plinius testatus*[o] *est. Macrobius*

crobius [a] *amygdalas easdem esse aperte scribit. Palma Aegyptia. Varro celebratam Aegyptiam dixit, vt puto, quoniam hæc in vrbem ferebatur, alioqui Plinius,* [b] *inquit, clarissimæ omnium, quas regias appellauere ab honore; quoniam regibus tantum Persidis seruabantur, Babylone natæ in vno horto Bagou. Sed hæ Romæ non edebantur, aut Varronis temporibus erant Romanis incognitæ. Glans Iberica. Plinius* [c] *suis quidem temporibus glandes secundis mēsis insertas in Hispanijs affirmat sed Romam inde aduectas, nec ipse scripsit, nec præter Varronem alius, qui dixerit vllus adhuc occurrit.*

[a] 3. lib. Sat. c. 18.

[b] li. 13. c. 4.

[c] li. 16. c. 5.

Aristotelis locus alter notatur de oculorum splendore in tenebris, & alter de cerui sanguine. Cap. XIX.

NON est satis mirari imbecillitatem, fragilitatemque humani generis. oculatissimos homines ea, quæ in nobis sunt, quæque obseruare singulis momentis licet, non videre, immo negare, maximam habet admirationem. notissimum est lumen quoddam videri in oculis, cum quis illos premit, mouetque hoc. Aristoteles libro de sensibus & sensibilibus euenire dicit in tenebris, aut opertis palpebris, quoniam & tunc in tenebris fit. ἐν τῷ σκότει, ἢ τῶν βλεφάρων ἐπικεκαλυμμένων. γίνεται γὰρ καὶ τότε ἐν σκότει. *quod uerum est. Sed illud, quod paulo post subiunxit, fieri tantum, si celeriter oculus moueatur, & in tenebris,* οὐ γίνεται ἐὰν μὴ ταχέως, καὶ ἐν σκότει τοῦτο συμβαίνει, *a vero penitus alienum est. namque experimentis contrarium docemur: cum æque apertis, ac clausis palpe-*

bris, interdiu, ac noctu, tarde, ac celeriter compresso ac commoto oculo alterutro, splendor ille cernatur. nos in luce clarissima, ac nostram quoque imaginem in speculo intuentes, vt oculos videremus apertos, sensimque oculos mouentes, dictum splendorem semper conspeximus. illud quidem notauimus, clarius apparere si in maiori angulo, quam si in minori, & omnino non videri nisi in angulis, aut prope, oculi premantur. neque satis est, si pro Aristotele dixeris, splendidius in tenebris, ac celeriter moto oculo, lumen illud videri; quoniam simpliciter hoc ab Aristotele negatum est, neque adeo obscure in lumine, & oculis tarde commotis cernitur, vt ob id merito dici possit, non videri.

Quod si res tam coniuncta nobis fugere hominem potuit sagacissimum, minus mirum videri deberet, eundem fuisse deceptum, cum scripsit quarto meteoron, tertio de historia animalium, & secundo de partibus animalium, cerui sanguinem fibris carere, nec coagulari quem fibris plenum, & coagulatum vidimus non ita multo ante, quam hæc scriberemus; cum rem hanc studiosissime, vt omnia, indagaret Alexander Petronius. forte autē Aristoteles non expertus hoc est (quippe quod etiam volēti cuiuis experiri non semper promptum, & expositum est) sed aliorum testimonio fidem habuit, quemadmodum in multis habuisse communi eruditorum sententia traditur. sed in hoc illum non arguo, quod fortasse cerui illius sanguis, quem vidimus, propter insolitam habitationē, & victum non consuetum, passus esse aliquid præter communem ceruorum naturam dici posset: tantum naturæ studiosi monendi fuerunt, rem hanc diligentius esse tractandā: quoniam experimentum aliquod iam est, quod Aristotelis dictum

ctum redarguat. et illud, quod de oculis diximus, cum nullo non tempore obseruari possit, illum tamen latuisse perspicuum est.

Antiquiorum & Galeni iudicium de turdis.
Cap. XX.

ET si Martialis dixit; *Inter aues turdus (si quis me iudice certet) tamen ab eodem scriptum legitur; Inter sapores fertur alitum primus Ionicarum sapor attagenarum. sicque videtur vt frugi & modestus ipse cæteris turdum anteposuiße, attagenas autem communi iudicio cunctis præstare significasse. quomodo Horatius vitam rusticam laudans, ac venationem describens, inquit, Aut amite leui rara tendit retia Turdis edacibus dolos. cibos autem diuitis, & lautæ mensæ referens, Non Afra auis descendet in ventrem meum, Non attagen Ionicus iucundior, & cæter. ille autem Menius apud eundem, qui dicebat, obeso nil melius turdo, non simpliciter, sed obesum laudabat, idest, vt arbitror, saginatum, quemadmodum re florente Romana fieri magna cura consueuerat, quamobrem singuli ternis denarijs emebantur. huc accedit, quod vulgo multa dicuntur pro re nata ὑπερβολικῶς quem in modum Menium fuisse locutum existimare par est.*

Hæc autem nobis suadebant, non adeo magni æstimatos in mensa turdos fuisse ab antiquis, vt propterea iudicium illorum damnari posset. Siquidem in turdis, nisi ars aliqua adhibita sit, tanta suauitas non

non eſt, quin eis facile anteponas columbas, perdices, gallinas, pluresque alias. Galenus etiam tertio libro de alimentorum facultatibus, concoquendi facilitate inferiores eſſe aſſeruit perdicibus, attagenis, columbis, gallis, phaſianis, gallinis. Nec eſt, cur eum ſic loquentem reprehendamus, aut miremur, tum dictæ aues nutriant, quam turdi, magis; quaſi contra ſe res habere debeat, quoniam quæcunque plus nutriunt, difficilius cõcoquuntur. etenim hæc propoſitio vera quidem in plurimis reperitur, non autem in omnibus, quod pluribus exemplis ex Galeno colligimus: nam primo libro de alimentorum facultatibus, mazam ait minus nutrire, quam panes hordeaceos, difficiliuſque concoqui. oryzam, quam alicam nutrire minus, cõcoqui difficilius. ſecundo libro, bulbos aceto, oleo, & garo mixtos ſuauiores fieri, magis nutrire, facilius concoqui. Serica exigui eſſe alimenti, ac difficilia cõcoctu, tertio lib. ſuum caſtratorum carnem ſuauiorem fieri, plenioris alimenti, faciliorem ad concoquendum, ad ſuccum bonum generandum, ad nutriendum; teſtes gallinaceos boni eſſe ſucci, valide nutrire, & ad concoquendum facillimos eſſe. volucrium autem ſenum carnem prauam eſſe concoctu, & nutrimenti exigui. Quibus probatur, eſſe quæ minus nutriunt, & difficilius concoquuntur. item, quæ magis nutriunt, & concoquuntur facilius, vt pleraque multum nutrientia ſunt concoctu difficilia. caſtigabatque Celſus licentiam illius propoſitionis ſecundi libri capite decimo ſeptimo, inquiens fere ſequitur, vt quo valentior quæque materia eſt, eo minus facile concoquatur. neque ex lib. methodi Galeni ſeptimo illa concludi poteſt; cum enim ea dixerit τὸ τροφιμώτατον μὴ ῥαδίως πέττεσθαι, & τὸ εὐπεπτότατον ἠμεῖναι τρο-

φιμό-

φιόμ]α]ον, quod maxime nutrit, nō facile cōcoqui, quod facillime concoquitur, non maxime nutrire; locum reliquit cęteris propositionibus, aliqua multum nutrire, quæ facile concoquuntur; & contra, aliqua difficulter concoqui, quæ parum nutriunt. Nam & si quod nutrit maxime, non facile concoquitur, tamen non protinus sequitur, vt idem difficillime concoquatur. ac si quid est concoctu facillimum, idque non maxime nutrit, non sequitur, minime idem nutrire. nam, vt dialectice agamus, si sunt in contrarietate aliqua gradus; infimi in altero ordine negationem non sequitur in altero supremi affirmatio, vt si quod est non magnum, non sequitur, idem esse minimum. neque supremi negationem in altero sequitur similiter in aduerso affirmatio supremi, vt si quid est non candidissimum, nō est intelligendum eße nigerrimum. Turdi igitur etsi cæterarum volucrium quibusdam minus nutriunt, tamen non male a Galeno dictum est, quod facilitate concoquendi ab earundem nonnullis superentur.

De origine medicinæ Platonis locus explicatur. Cap. XXI.

I*Lla Hippocratis libro de flatibus medicinam definientis, ἀφαίρεσις μὲν]ῶν ὑπερβαλλόν]ων, πρόσθεσις δὲ]ῶν ἐλλιπόν]ων, quod est, ablatio quidem eorū, quæ superant, ad positio vero eorum, quæ desunt; plane ostendunt, sanitatem esse medium quoddam inter id, quod est nimium, & id, quod est parum, vt talis in corpore sit sanitas, qualis est virtus in animo, vt Aristoteles ostendit secundo libro moralium ad Nicomachū. est enim virtus quædam mediocritas, quam corrumpit,*

pit, ὑπερβολὴ καὶ ἔλλειψις. cuiusmodi igitur circa sanitatem medicina, eiusmodi est circa virtutem disciplina morum, quæ magna est ciuilis pars facultatis, vt etiam iudicialis, quam δικανικὴν, Plato appellauit tertio libro de Rep. inquiens, ἀκολασίας δὲ καὶ νόσων πληθυουσῶν ἐν τῇ πόλει. ἆρ᾽ οὐ δικαστήρια, καὶ ἰατρεῖα πολλὰ ἀνοίγεται. καὶ δικανικήτε, καὶ ἰατρικὴ σεμνύνονται. quod est intemperantia, & morbis in ciuitate multiplicatis, de iudicijs, & de arte medica multa aperiuntur, & iudicialis facultas ac medicina in pretio habentur. quæ verba minus probe a nonnullis fuisse accepta animaduerti, dum existimant eorum illam sententiam esse, quod medicina ortum habuerit ab intemperantia, & morbis, tanquam duplicem illius originem Plato exposuerit. quod tamen Platonis verbis non quadrat. qui vt duarum artium originem ostenderet, duo earum diuersa initia explicauit: sicut enim altera corpus, altera animum respicit, ita par est alterius causam corpori, alterius animo propinquiorem esse, in corpore morbus est, in animo intemperantia. ille medicinæ, hæc iudiciariæ causam præbuit. vtque ad iudiciariam morbus non spectat, ita putandum est intẽperantiam, quomodo hoc loco accipitur, minime ad medicinam pertinere. sic paulo ante Plato dicebat, in musica gigni intemperantiam a varietate, morbumque in gymnastica, contra vero secundum musicam a simplicitate in animis temperantiam, secundum vero gymnasticam in corporibus sanitatem. si obijciant ab intemperantia morbos nasci, occurritur, Platonem id exposuisse, quod his duabus facultatibus causam proxime præbuit. vt morbus ad medicinam, ita se habet ad indiciariam intemperantia, quæ animi morbus apte dicitur

tur

tur. verum quidem est, quod morbi ab intemperantia nascuntur, sed nec ea est proxima medicinæ occasio, nec sola morborum causa, quos fieri ab intemperie cæli, & ab anni tempore Plato eodem loco dicebat, vulnera etiam memorans, quæ sunt ab intemperantia longe diuersissima. in quę non minus, quã in intemperantiam, referendum fuisset initium medicinę, si medicinæ gratia intemperantiam memorasset. sed, vt dixi, ἀκολασίαν, quam intemperantiam interpretantur, in medium attulit, ad iudiciariæ originem, seu occasionẽ exponendam, non medicinę. cui consentit, quod ab eodem in Gorgia scriptum legitur, medicinam morbos abigere, iudiciariam vero amouere intemperantiam & iniustitiam.

Locus Hippocratis primo libro de diæta, vtrum sit castigandus, perpenditur.

Cap. XXII.

Hippocrates primo libro de diæta, vbi loquitur de animę sapientia, & desipientia, inquit vt legitur in omnibus exemplaribus, quotquot hactenus visa a nobis sunt, ἰσχνασίης δὲ πνεύμονος οὗτος δέεται, καὶ ξηρασίης. id est, attenuatione pulmonis hic eget, & arefactione.

Sed est, qui putet legendum πνεύματος, idest, spiritus, ob eam causam, quoniam nullus asserit pulmonem ad prudentiam conferre, sicut spiritum, qui quanto siccior est, ac subtilior, tanto mentem acutiorem facit. cui rationi addo, libro de morbo sacro ab Hippocrate traditum, cerebro nos maxime sapere, et delirare, ac eorum sententiam refutatam, qui pręcordijs, & eorũ, qui corde nos sapere, et intelligere arbitrabãtur. longe igitur minus ipse hoc de pulmone dixerit. insuper li. de

flatibus dicit, inter omnia, quæ in corpore sunt, nihil magis conferre ad prudentiam, quam sanguinem. & primo libro de morbis inquit, Sanguis, qui est in homine, maximam partem ad prudentiam conferre, quidam totum dicunt. at sanguinis appellatione venit etiam sanguis arteriarum, qui spiritus vocatur, sicut venarũ appellatione arteriæ quoque apud antiquos comprehendebantur, Galeno [a] *auctore. quapropter si loco proposi-*
[a] Sup.c.16. *to legatur πνέυματος, idest, spiritus, videbitur consona ijs dicere, quæ libro de flatibus, & primo libro de morbis scripsit.*

Verumtamen isthæc tanti non sunt, vt persuadeant nouam hanc lectionem recipiendã esse. equidem si membra respexerimus, ex Hippocratis sententia cerebrum videbitur, nõ quidem solum, sed primum & potissimũ ad insaniam, & prudentiam cõducere, vt libro de morbo sacro; si humores, sanguinem quantũ quemuis alium laudabimus, vt libro de flatibus, vel etiam alijs præferemus, vt primo de morbis scriptum est. pulmonem vero conferre ad prudentiam siue multum, siue parum, Hippocrates neque ait, neque negat. Sed statuamus nõ conferre. tamen pulmonis mentio loco proposito incongrua non est. etenim Hippocrates de ea scribit corporũ temperatione, in qua ignis ita superatur ab aqua, vt homines eo desipientiæ genere capiantur, cuius gratia ἀφρόνας, & ἐμβρόντήτους, idest, desipiẽtes, & attonitos illos appellant. quoniam vero id mali genus ab humore immodico sine dubio proficiscitur, victus illis siccus vsurpandus est, expedit igitur, vt parcius etiam bibãt. hoc vero vt Hippocrates significaret, dixit, pulmonis gracilitate, & ariditate opus esse. quemadmodum contraria significatione Alcæus poeta antiquissimus, potum

tum rogans dixit, τέγγε πνεύμονα οἴνῳ. idest, irriga pulmonem vino. non quia Hippocrates existimauerit, potum in pulmonem defluere (nam illam opinionem multis argumentis confutat quarto libro de morbis: & libro de alimentis scripsit, principium alimenti & humidi, & sicci os, gulam, ventrem: & libro de ossibus, potus per fauces, & gulam; & miror [a] *A. Gellium inter illius sententiæ auctores Hippocratem ex Plutarchi sympos. referre, cum nec Hippocrates illud senserit, nec Plutarchus Hippocratē nominauerit, sed tantum Plistionem Hippocraticum cōmemorauerit. dixit tantum Hippocrates libro de corde exiguum ipsius potus per rimam illabi in pulmonem, cum plurimum in ventrem descendat, quem in modum Galenus* [b] *Platonem interpretatus est. risit vero & andem* [c] *Aristoteles sententiam) sed quod antiquam* [c] *dicendi formam vsurpare voluit, qua vsus fuerat non Alcæus tantum, sed & Eupolis, & Euripides ætate Hippocratis (vt auctor est Plutarchus in sympos. (a quo Gellius, & Macrobius* [d] *sumpserunt) & Athenæus* [e] *testatus est) & postipsū Eratosthenes, quę ad latinos, quoq; peruenit,* [f] *Iuuenalis enim inquit, pulmo faleno Arderet. cuius locutionis occasio ea videtur fuisse, quod, etsi nullatenus potus ab ore in pulmonem descenderet, tamen magna inter pulmonem & potum cognatio est. quæ multis argumentis demonstrari potest (ijs etiam omissis, quæ Plutarchus ex Diaxippo, & ex Plutarcho, Gellius, et Macrobius retulerunt) nam qui potauerint immodice difficilius spirant, vt auctor est Hippocrates secundo libro prædictionum, & ex ebrietate erysipelas in pulmone oriri solet, vt idem notauit secundo libro de morbis. & ex vinolentia inflammatio eiusdem partis, vt libro de in-*

a li. 17. c. 11

b lib. de decre. Hipp. & Plat. 8. c. 9.

c libr. 3. de partib. anim. c. 3.

d lib. Sat. 7. c. 15.

e lib. 1.

f Satyra. 4.

de internis affectionibus. vbi etiam scribit, aquam inter cutem ex eo maxime fieri, cum quis æstatis tempore siti vexatus aquam multam biberit, & pulmo expletus fuerit, qui rursus dimittit ad pectora, & cæt. & Dioscorides sexto libro, ac post ipsum Aetius, Paulus & alij dixerunt, aquam frigidam, vel meracum abunde & intempestiue haustum strangulare. propterea significaturi sitim aut potionem, madefieri, aut arescere pulmonem dicere instituerunt. præterea eodem primo libro de diæta, in cōtrario temperationis genere, quod & ipsum vitiosum est, in quo aqua superatur ab igne, quamobrem humido victu opus est, ait animam procedere in pulmonem, vbi pro pulmone spiritum restituendum nullus asseruit. pulmonis igitur mentio aliena ab ea tractatione non est. videtur autem Hippocrates significare, in corpore humidiore animam veluti vinculis detineri, quamobrem ad exteriora, vbi sensus fiunt, egredi non potest, vnde homines tardi, & attoniti vocantur. in aridiore autem contra, animam celerius iusto moueri, & ad sensus labi, quo fiunt inconstantes, & qui de quaque re facile enuntiant. quoniam autem hos loquaces, illos esse tacitos verisimile est, propterea; vt in illis ariditate pulmonis opus esse dicitur; tamquam anima propter humoris copiam, quantum sat est, ad pulmonem accedere non posit, hoc est inibi se promptc exercere; ita in his irrigatio eiusdem partis vtilis traditur, ne ad illam anima nimis facile feratur, quamobrem sermone immodico, cuius pulmo instrumentum est, suam desipientiam præseferāt. quod si alicui Hippocrates vsus videatur oratione, quæ abhorreat a communi philosophia: non propterea sunt illius verba arbitratu cuiusque permutanda, quia non

hoc

hoc vnum. sed multa sunt in ea tractatione, quæ a communi ratione philosophandi aliena sunt.

Aristotelis sententia de animalibus, quę in niue, & igne generantur, defenditur. Cap. XXIII.

PVlchre quæri, vtrum aliqua animalia in igne, atque niue generentur nullus iure negauerit: nos tamen eo nomine potissimum de hac re scripturi sumus, vt intelligatur, an Aristoteles falsum aliquid de ea re scripserit quinto libro de historia animalium.

Qui Aristotelem notant, his rationibus mouentur. Quod ad niuem pertinet, videtur fieri non posse, vt animalia in ea generentur, cum a calore absit maxime, sine quo animal generari minime potest. cum etiam nō alia causa sit, cur nihil ex glacie producatur, quā quod frigidissima est, vt Aristoteles dixit secundo libro de genera. & corrup. tantumque abest, vt animalia in niue nasci credibile sit, vt eam illorum interitus caussam esse argumento sit, quod hyeme agricolæ niues optant, quibus perniciosæ frugibus bestiolæ perdantur. si qui vero vermiculi in niuibus aliquando conspiciuntur, illos non ex niue & in niue natos, sed ex terra emersos niuibus sese inuoluisse credendum est.

De igne vero primum obijcitur, humorem ab eo maxime abesse, quasi velint animal nullum sine humore generari. deinde Aristotelē secundo lib. de gen. & corrup. scripsisse, ex igne fieri nihil, quoniam calor in ipso excellit maxime, & secūdo de ge. ani. ab igne nullū gigni animal, nihilq; videri cōsistere in ignitis vllis siue humidis, siue siccis. postremo si visa sint in fornacibus

metallorum animalia, credendum eſſe ex terra metallis commixta erupiſſe, non autem in ipſo igne genita.

Tamen Ariſtoteles quinto libro de hiſtoria animalium tum de niue, tum de igne contrarium docuit. nam cum ortus inſectorum varios diligentiſsime recenſeret, traderetque alia a cognatis animalibus produci. alia vero ſponte naſci, & ex his alia ex rore ſupra plantarum folia cadente, alia in luto ac ſtercore putrefacto; alia in lignis, alia in animalium ſuperfluitatibus, alia in alijs, demum dicebat aliqua etiam naſci ex fæce aceti. quod quia mirum videri poterat, cum acetum putre fieri non videatur, obiectioni occurrit dicendo, in his etiam, quæ minime ſunt obnoxia putrefactioni, animalia naſci, vt in niue, & igne. καὶ γὰρ ἐν τοῖς δοκοῦσιν ἀσηπτοτάτοις ἐγγίνεται ζῶα· οἷον ἐν χιόνι τῇ παλαιᾷ σκώληκες. γίνεται δὲ ἡ παλαιὰ ἐρυθροτέρα. διὸ καὶ οἱ σκώληκες τοιοῦτοι, καὶ δασεῖς. οἱ δὲ ἐκ τῆς ἐν ἐυδία χιόνος μεγάλοι, καὶ λευκοί. δυσκίνιτοι δὲ πάντες. ἐν δὲ κύπρῳ, ὅυ ἡ χαλκῖτις λίθος καίεται, ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ἐμβαλλόντων, ἐνταῦτα γίνεται θηρία ἐν τῷ πυρὶ, τῶν μεγάλων μυῶν μικρὸν τι μείζονα, ὑπόπτερα. ἃ καὶ διὰ τοῦ πυρὸς βαδίζει, καὶ πηδᾷ. ἀποθνήσκουσι δὲ καὶ σκώληκες, καὶ ταῦτα χωριζόμενα, τὰ μὲν τοῦ πυρὸς, οἱ δὲ τῆς χιόνος, *quod eſt, etenim in his, quæ videntur maxime poſſe non putreſieri, animalia naſcũtur. quemadmodũ niue in vetuſta vermes. fit autẽ vetuſta rubens, propterea & vermes huiuſcemodi, atque hirſuti. qui vero fiunt ex niue, quæ in tepore inuenitur, magni ſunt, & albi. cuncti vero difficulter mouentur. at in Cypro, vbi chalcites lapis comburitur, cum diebus multis inijciunt, ibi naſcuntur feræ in igne paulo muſcis grandioribus*

ribus maiores, pennatæ, quæ per ignem ambulant, ac saliunt. moriuntur autem & vermes, & hæ separatæ, hæ quidem ab igne, illi vero a niue.

Strabo etiam vndecimo libro Geographiæ non ait dissimilia Aristotelicæ narrationi. ἐν δὲ τῇ χιόνι βώλους πήγνυσθαι φασὶ κοίλας περιεχούσας χρηστὸν ὕδωρ ὡς ἐν χιτῶνι. καὶ τὰ ζῶα δὲ ἐν αὐτῇ γεννᾶσθαι. καλεῖ δὲ σκώληκας Ἀπολλωνίδης, Θεοφάνης δὲ ὀριπάς. κἀν τούτοις ἀπολαμβάνεσθαι χρηστὸν ὕδωρ. περιχεθέντων δὲ τῶν χιτόνων πίνεσθαι. τὴν δὲ γένεσιν τῶν ζώων τοιαύτην εἰκάζουσιν οἵαν τὴν τῶν κωνώπων ἐκ τῆς ἐν τοῖς μετάλλοις φλογὸς, καὶ τοῦ πετάλου. *idest; In niue autem glebas congelascere aiunt concauas optimam continentes aquam tanquam in tunica. & animalia in ipsa niue generari (vocat autem Apollonides vermes, Theophanes vero oripas) & his optimam contineri aquam. ruptis autem tunicis ebibi. huiusmodi vero animalium generationem assimilare culicum ortui, qui ex metallorum flamma, bracteaque nascuntur.*

Plinius quoq; vndecimi libri capite trigesimo quinto, Rursus, inquit, alia genera culicum acescens natura gignit, quippe cum & in niue candidi reperiantur & vetustiore vermiculi. in media quidem altitudine retuli (nam & ipsa nix vetustate rubescit) hirti pilis, grandiores, torpentesque & in capite sequenti, gignit aliqua, & contrarium naturæ elementum, siquidem in Cypri ærarijs fornacibus ex medio igni maioris muscæ magnitudine volat pennatum quadrupes: appellatur pyralis, a quibusdam pyrausta: quandiu est in igne viuit, cum euasit longiore paulo volatu emoritur.

Non vno igitur testimonio sed multis Aristotelis narrationi fides adiungitur. cui etiam Seneca videtur

consensisse, cum quinti libri naturalium quæstionum capite sexto, generatim professus est animalia igne generari.

Cum vero in omni disputatione quæri primum ac definiri, quo sese res habeat modo, deinde causam, quãobrem ita habeat, inuestigari oporteat; nec deceat nos, in quibus rebus sensu egemus, solas rationes sine sensu exquirere; immo ineptus sim, si sola enitar ratione ad probandum, vel improbandum aliquid contra eam fidem, quam sensus testimonium facere debet, & potest; nũquam negauerim vermes in niue, & in fornacibus, vbi chalcites lapis cõburitur, generari, quod fieri Aristoteles, & cæteri, quos adduximus, testati sunt. neque dixerim ab Aristotele libris de historia animalium res naturales mature minus, quam libris de generatione eorundem, examinari. cum enim hic causas perquirat rerum, quarum illic historiam exposuerat; magnopere arguendus esset, si causam rei quæreret, quam esse ignoraret, aut non sic esse existimaret, vt, quo loco debuit, explicauerat. & quamuis credamus Aristotelem labi etiam in ijs rebus potuisse, quæ sensuum fide indigent, cuiusmodi exempla in nostro hoc volumine non desunt; neque habeamus alios præter dictos huius rei certiores testes, neque nos ipsi in hanc rem inciderimus; habemus tamen rationes, quibus ijs occurramus, qui solis rationibus abrogare Aristoteli fidẽ conabantur. Itaque *quod negauere in niue aliquid nasci, quoniam nix a calore maxime abest, falsa ratione inducti sunt. si enim credamus Auerroi quarto libro* Meteor. *nulla res, quæ ex elementis concreta sit, calore caret. & Aristoteles quinto libr. de generat. animalium, docuit nullum esse absque calore humidum.* οὐδὲν ὑγρὸν ἄνευ θερμοῦ

θερμοῦ. nix autem concreta est, & est humidum quiddam (quamquam enim congelatione fit, quæ exsiccatio quædam est, substantia tamen eius est vapor, cuius natura est humida, minimoque negocio in aquam vertitur. congelatio vero est quædam exsiccatio, sed non simpliciter, nam exsiccatio fit humido exeunte, at in niue humidum non exit, sed concluditur potius, ac veluti vincitur) insuper Aristoteles primo libro Meteor. ait, niuem esse nubem cōgelatam, & in nube multum calidum inesse. & libro de generat. anima. quinto, albedinem ab aere dicebat esse, aer vero est calidi & humidi, & nix est alba. quibus omnibus concluditur, non maxime a calore niuem abesse. ex glacie quidem nihil fieri concedi Aristoteli potest, sed nix minus quam glacies frigida est. hæc dicta est esse, ὑπερβολὴ ψυχρότητος, at nix minime. & licet dixerit, cōgelationē, πῆξιν, esse ὑπερβολὴν, niuemq; congelatione constare, tamen haud dubie in maiori congelatione exuperātia maior est, niuemque minus esse congelatam glacie negari non debet, quod si forte glaciata nix etiam fuerit, tunc nihil ex ea nasci rationi consentaneum est. neque dixerim glaciei densitatē potius, quā frigus, ortū animaliū prohibere; quoniā in re dēsiori, quā glacie, ut sunt multa ligna, vermiculos nasci certissimū est. impedimentū igitur est a frigore, quod nunquā in niue tam efficax, vt in glacie est, & multo minus, cū nix ipsa putrescit.

Quod autem nix perniciosa sit bestiolis, quę frugibus sunt inimicę, non est efficax argumentum contra Aristotelis sententiam. quoniam sicuti, quæ in aere degunt, magna ex parte in aqua suffocantur, & quæ in aquis viuunt, aerem non ferunt; nec tamen sequitur, si illa suffocantur in aqua, quod nulla nascantur in aqua:

ſimiliter de aere. ita qui ex terra, & in terra vermes naſcuntur, ſiue quæ alia inſectorum generis, ſunt frugibus noxia, perimi a niue minime mirum eſt; ſed non ſequitur, ex niue, aut in niue nullum oriri animal poſſe. ſi autem poteſt, vt Ariſtoteles teſtatur, tantum abeſt, vt ab ea perimi debeat, vt ab ea ſeiunctum vitam agere non poſsit. non ſecus ac piſcibus extra aquam contingat. nam, vt idem eſt auctor libro de reſpiratione, ἡ φύσις οἰκείοις μάλιστα σώζεται τόποις. *natura in locis cognatis ac familiaribus maxime ſeruatur. & Theophraſtus primo libro de cauſis plantarum,* ἅπαντα γὰρ φαίνεται τὰ ζῶα καὶ τὰ φυτὰ, καὶ διαμένοντα καὶ γενόμενα ἐν τοῖς οἰκείοις τόποις. *cuncta enim videntur animalia & plantæ manere acgenerari in proprijs locis. ſubditque* ἀπαθῆ μὲν ὑπὸ τούτων. *a propriis locis nihil pati, non corrumpi. & quinto de cauſis plantarum tradit, vermes ad alias tranſlatos arbores, quam in quibus nati ſunt, non viuere. quapropter conſentaneum rationi magis eſt, vermes niue inuolutos, in ipſa niue natos, quam terra emerſos. nec de alimento illorum eſt dubitandum. etenim ex qua naſcuntur re, ex eadem ſine dubio ali poſſunt. & niuem non eſſe rem ſimplicem, ſed ex pluribus concretam (cuiuſmodi oportet eſſe alimentum præbitura) ante ſtatuimus. & cuicumque viuenti, interea dum generatur, tantum materiæ ſufficitur, vt etiam genito ſatis ſit ad vitam certo ſpacio ſuſtinendam; nullo extrinſecus alimento accedente; donec videlicet aut proprio ingenio, aut ope aliena, externum, & aduentitium (nam illud ingenitum dici poteſt) nutrimentum, vt naturam decet, comparetur. quod ſi nunquam ſuppetat, paucisſimos ea dies, vel horas, vitam*

agere necessum est.

Illis autem, quæ de igne dicebantur, sic occurritur. verius quidem dici ignem maxime abesse ab humore, quam niuem a calore, cum secundo libro de generat. & corrupt. Aristoteles dixerit, ignem esse τὴν ὑπερβολὴν θερμότητος. *nihilque fieri ex igne; neque (vt secundo libro de generat. animal.) ab igne. sed hæc non pugnant cum his, quæ dixit quinto de historia, vbi nō ex igne dixit, neque ab igne nasci illud animalis genus, sed in igne,* ἐν τῷ πυρὶ. *tertius autem hic dicendi modus a prioribus duobus, qui & ipsi inter se differūt, diuersus est; & aliud significat. nec secum Aristoteles ipsemet pugnat, qui negauerit, vllum animal in ignescentibus nasci, secundo libro de generat. animal. modo illius verba recte percipiantur, inquit,* διὸ πῦρ μὲν οὐδὲν γεννᾷ ζῷον, οὐδὲ φαίνεται συνιστάμενον πυρουμένοις οὔτ' ἐν ὑγροῖς, οὔτ' ἐν ξηροῖς οὐδέν. *quibus verbis docet (mea sententia) ignem neque vt effectorē, neque vt materiam, generationis animalium auctorem esse: postremaque verba non significant in ignitis aliquid nō gigni, ita vt negari possit in igne aliquid nasci; hoc enim est falsum ex quinti libri de historia animalium loco, quem ante diximus. sed ita sunt interpretanda.* οὐδὲ φαίνεται συνιστάμενον πυρουμένοις, οὔτ' ἐν ὑγροῖς, οὔτ' ἐν ξηροῖς οὐδέν. *nullum videtur constare ex ignescentibus siue humidis siue siccis. nam verbum,* συνίσταμαι *cum multifariam sit in vsu, vt Græcæ linguæ periti obseruarunt, significat etiam constare, consistere, constitui. Aristoteles tertio libro de partibus animal.* φάρυγξ καὶ ἡ ἀρτηρία συνέστηκεν ἐν χονδρώδει σώματι. *guttur & arteria constitit in chartilagineo corpore, quod est, constituta fuit ex chartilagineo corpore. &*

hic igitur, συνιστάμενον ἐν τοῖς πυρουμένοις, quod constituitur ex ignescentibus, vt tota sententia sit, neque architectum animalium esse ignem, neque materiam. Non sequitur tamen aliquod animal, cuius alius auctor sit, & alia materies, quam ignis, non posse in igne, & nasci, & viuere, & cōseruari, sicut animalium, quæ in aere degunt, non est effector, & parens aer, nec materies (nisi vt omnia elementa conueniunt, quo pacto & ignis confert ad rerum procreationem) in aere tamen fiunt, & in eo conseruantur, quia natura, vt diximus, cognatis, familiaribusque locis gaudet. & quamuis aliqua ancipitis vitæ sint, quæ in alio, quam in quo nascuntur, loco degunt, vt Lutra, Crocodilus, & alia, quæ vt Aristoteles refert primo libro de historia animalium, extra quas nascuntur, in aquis tamen vitam agunt: tamen nullum est, quod in proprio, in quo natum est loco, conseruari non possit. quapropter pyrausta siue pyralis, in Cypriis fornacibus genita, non potest, sicut nec aliud quidquam ex igne nasci, sed potest aut ex chalcite, aut alia re cum chalcite permixta, nondū tamen ignescente (fieri enim potest, ut lapidum illorum moles pluribus diebus congesta, vt Aristoteles dicit, non vniuersa simul ardeat) ab animali calore, vel spiritu (qui nusquam non est, vt idem est auctor tertio libro de animalium generatione, & Theophrastus tertio libro de causis plantarum inquiens, πάνταχοῦ ἡ φύσις ζωογονεῖ) generari in igne, & viuere illa etiam conditione, vt ab eo seiuncta protinus intereat. conceditque Aristoteles eodem quinto de historia, certas animalium quorundam esse constitutiones, quas ignis non comburat, vt quod de Salamandra dicitur. adeo vt, quod secundo de animal. generat. negauit, ἐν τοῖς πυρουμένοις,

non

non ſit idem illud, quod aſſeruit libro quinto de hiſto-ἐν τῷ πυρὶ: quoniam vis verbi, συνίσαμαι, patitur, vt idem ſit ſenſus, ἐν τοῖς πυρουμένοις, qui eſſet, ſi cum verbo, γίνομαι, dictũ fuiſſet, ἐκ τῶν πυρουμένων, itaque negat, γίνεσθαι ἐκ τῶν πυρουμένων, vt ſecundo libro de generat. & corrup. negauit inquiens, οὐδὲν γίνεται οὔτ᾽ ἐκ κρυστάλλου, οὔτ᾽ ἐκ πυρὸς. quinto autem libro de hiſtoria aſſerit, ἐν τῷ πυρὶ γίνεσθαι. quod eſt aliud, hic enim locus, illic materia & principiũ ſignificatur.

Nec obijciat aliquis Ariſtotelem quinto de hiſtoria ſimiliter loqui de igne, ac de niue; ſignificare autem non ſolum in niue, ſed ex niue naſci vermes, quia dixit rubros eſſe, quoniam nix, in qua naſcuntur, rubra eſt, tanquam in illorum generatione ſumatur etiam vt materies, non autem ſit duntaxat locus; ergo & ignem, vt materiem ab eodem acceptum etiam ſi dixit, in igne; uam huic occurritur bifariam, primo, quod in niue poſſet aliquid eſſe permixtum, quod pariter vetuſtate rubeſceret, ſicut nix, ex quo vermes naſcantur, quod vel affirmare, vel negare ſatis tuto non poſſumus, niſi quatenus rationem ſecutis veriſimilius videtur, terrenum etiam aliquid eſſe permixtum, quod ad dictorum vermium procreationem conueniat. deinde, quod diſpar ratio eſt ignis, & niuis: quia, vt ante diximus, non eſt tanta in niue frigoris, quanta in igne caloris excellentia. ac dictum equidem ab Ariſtotele, videri niuem ac ignem minime obnoxium putrefactioni; ſed reuera nõ æque vterque a putredine diſtat. vt demum quod quinto de hiſtoria, ex ipſa rerum obſeruatione, dictum eſt, naſci animal in igne, intelligendum ſit ex definitione ſecundi libri de generatione animalium, non habere ignem effectorem, ac quaſi fabrum, neque

mate-

materiam; sed locum tantum, in quo solo vt nascitur, ita & viuit, & conseruatur. probabile tamen est breuissimam illorum vitam esse, cum desit alimentum extrinsecus accedens, quo possint diutius sustineri (nam quod attinet ad caloris custodiam; cuius gratia frigore opus esse videtur; dici posset, ea, quæ de respiratione ab Aristotele dicuntur, locum habere tantum in plantis, & animalibus, quæ in aere, & aqua viuunt, quæ speciatim etiam ipse memorauit; at si viuens aliquod in igne reperiatur, diuersam rationem esse) quamobrē a paucis etiam animaduerti potuerunt: quæ fortasse fuit causa, vt nec Galenus (quod quidam obijciunt) notauerit, etsi fornaces Cyprias diligēter lustrauit. quā quā & notasse potuit, et silentio sine culpa præterijsse.

Verba Aristotelis, in superiori capite posita ex quinto libro de historia animal. castigatione non indigere.
Cap. XXIIII.

IN Aristotelis verbis ex quinto de historia animalium, quæ retulimus superiori capite, cum dicitur, in quadam niue gigni vermes & magnos & albos; illa verba, ἐν εὐδίᾳ, quæ vertebamus, in tepore, in aliquibus exemplaribus scripta sunt, ἐν μηδίᾳ, quæ secutus interpres in Latina editione legit in Media. quæ lectio comprobatur duabus rationibus. altera est, quod in serenitate (nam εὐδίαν, serenitatem interpretantur) nix interdiu liquatur, noctu vero congelatur. propterea ex ea grandiores vermes nasci non posse. altera est, quod Strabo Armeniam, in qua dicebat vermes nasci in niue, finitimam esse Mediæ tradebat. quas rationes

dum examinaremus, posterior videbatur omnino nihili facienda: cum enim Strabo de ortu dictorum vermium verba faciens Mediæ non meminerit, vix induci potest suspicio de emendanda vulgata Græcorum exemplarium editione. immo mirum esset, si Mediæ peculiare fuisset, vt vermes in niue magni, & albi orirentur, hoc a Strabone in Mediæ mentione fuisse omissum. ad hæc vermes ex niue magnos aut paruos, albos aut rubros fieri idem auctor non distinxit. prior autem ratio speciem quandam veri habere videbatur, quoniam vere in ea sumitur in serenitate niuem interdiu liquari, nocte autem gelascere. tamen diligentius consideranti infirmior visa est, quam vt persuadere valeat, vulgatam lectionem Græcorum exemplarium castigatione egere. nam etsi nix die resoluitur, tamen non tota simul, & multis locis non vno die tota, sed pluribus, & paulatim liquescit: quamobrem ex ea, quæ nondum soluta est, uermes nasci possent.

Nos εὐδίαν, *teporem uertimus, ut absque necessitate uulgatam lectionem non mutaremus: quoniam uidi plures, tum medicinæ, tum Græcarum litterarum peritissimos uiros in duodecimo aphorismo secundæ sectionis Hippocratis iudicasse uocabulum,* εὔδιος, *pro tepido melius accipi, quam pro sereno. & animaduerti Plinium libr. decimiseptimi capite uigesimo quarto ex Theophr. lib. quarto de plantis, & quinto de causis plātarū,* τὰ νότια καὶ εὐδιεινά *interpretatum esse teporem humidum, a quo scilicet diuersa insectorum generis animalia plantis noxia produci, uterque auctor est. & Theophrastus ipse primo de causis plantarum, cum nominasset;* τόπους εὐδιεινούς, *his mox opposuit,* ψυχρούς. *at frigidum non sereno, sed calido, aut tepido*

do aduersatur. similiter quarto libr. opponit, τὰς εὐδίας τοῖς χειμῶσι. at hyemi nō serenitas, sed calor, tepor que repugnat. sed notaui etiam in Aristotele non posse melius verti εὐδίαν, quam teporem humidum, seu clementiam cæli: nec debere verti serenitatem. nam primo libro Meteoron, de pruina & rore verba faciens, tria vsurpat uocabulorum genera, quorum obseruatio hanc rem totā aperiunt. ea sunt. χειμῶν, καὶ χειμερινὸς τόπος. εὐδία καὶ εὐδιεινότερος τόπος. quæ Latine sunt interpretanda, hyems & hyemalis locus, cęli clementia, & clementi locus cęlo, serenitas. ratio est. quoniam Aristoteles ait pruinā fieri, χειμῶνος, καὶ ἐν τοῖς χειμερινοῖς τόποις, idest, hyeme & hyemalibus locis, quod est intelligendum frigida tempestate, & locis frigidis. cum enim infra dicat Boream hyemem facere, quia frigidus est; significat hyemem dici ex frigore, nō ex pluuijs, ut aliquis existimaret. & cum dicat pruinam hyeme fieri, non autē pluuio, sed sereno cælo, ostendit hyemis appellatione pluuiam a se non comprehendi. hyememque alias atque alias, & pluuiam, & serenā posse esse. ait deinceps rorē fieri, ἐν εὐδίᾳ, καὶ εὐδιεινοτέροις τόποις. ubi serenitatis mentio congrua non est. primum, quia sereni epithetum loco nō conuenit. deinde, quia dicit pruinam fieri in cælo ac loco illi contrario, in quo ros fit, & pruina in hyeme & in hyemalibus locis fit, idest cælo ac locis frigidis. ergo εὐδία, & τόπος εὐδιεινότερος, in quo ros fit, calidum cælum & calidū locum significare uidetur. postremo, quod ait tum pruinam, tum rorem fieri, ἐν τῇ αἰθρίᾳ. quod serenitatem haud dubie significat. igitur εὐδία, non est serenitas, alioquin etiam pruina fieret, ἐν τῇ εὐδίᾳ, quod Aristoteles negat. ergo εὐδία, est calor quidam, talis scilicet,

licet, qualis fieri austris spirantibus solet. quoniam, ut idem inquit, ὁ νότος εὐδίαν ποιεῖ. est autem calor humidus, ut notum est. atque ideo existimo Plinium teporē humidum nuncupasse. quare & nos dicto loco teporem uertimus.

Hoc autem uidebatur ab Aristotele significari si, postquam ninxit, cælum tepescat; quam ob rem nix a cæli tepore citius liquefieri cogatur, quam vt possit ex vetustate rubescere; atque interim vermes nascantur (possent autem quia non momento, sed tanto spacio interposito alicubi liquescit, vt sine dubio nasci possint) hi fiunt magni & albi. magni, quoniam ad magnitudinē cæli temperatio conducit. & albi, quia calor niuis nondum vetustate in rubrum transiit.

Plinij locus ex Theophrasto de tribulo, & Theophrasti ex Plinio de rosis emendatur. Cap. XXV.

Theophrastum de Plinio, & Plinium contra de Theophrasto bene meritum dici poße, argumento est locus, qui est libri vigesimi primi capite decimo quinto, vbi Plinius hęc habet. Hippophyes *spinis geniculatum. tributa proprietas, quod & fructum spinosum habet. quæ omnia de uno* Hippophye *dicta, falsam sententiam continent. quoniam Theophrastus sexto libro de causis plantarum his asseruit hanc esse tribuli proprietatem inter spinosos frutices, ut fructū spinosum gerat.* περικαρπιάκανθος ἐστιν. ἔχει γὰρ ἀκάνθας ἐν τῷ περικαρπίῳ. διὸ καὶ τοῦτο ἴδιον πρὸς ἅπαντα ὡς εἰπεῖν, *& prope finem tractationis eorundē,* ὁ δὲ τρίβολος ἴδιον ἔχει, διότι περικαρπιάκανθος ἐστι. *itaq. in Plinio legen-*

legendum est, non Tributa, sed Tribulo proprietas, quod & fructum spinosum habet.

Theophrastus uero eodem libro differentias rosarum prosequebatur, ac dicebat, τὰ μὲν πλεῖστα πεντάφυλλα. *plurimæ quidem quinque habent folia. hoc autem dubium est, immo falsum, quoniam rariores nascuntur, quibus quinque, quam quibus maior foliorum numerus. deinde in numero differentiarum proponit tantum multitudinem foliorum,* πλήθει τε φύλλων καὶ ὀλιγότητι. *non autem multitudinem plantarum, ut scilicet, quæ rariores, quæue frequentiores oriantur. propterea uox,* τὰ πλεῖστα. *ad numerum foliorum uidetur referenda. at quinarius non est maximus in rosis foliorum numerus, cum sint non solum duodecim, & uiginti, sed & centum foliorum rosæ. neutro igitur modo conuenire uidetur uox,* πλεῖστα. *His itaque & Plinij auctoritate suadebatur mihi, legendum,* τὰ μὲν γὰρ ὀλίγιστα πεντάφυλλα. *quibus paucissima sunt, ea quinque habent folia quod reliquæ Theophrasti orationi congruum est. & Plinius eiusdem libri capite quarto, inquit, Paucissima quina folia, ac deinde numerosiora, cum sit genus eius, quã centifoliam vocant. quæ Theophrasti verborum compendiosa interpretatio est, si ita legeris,* τὰ μὲν ὀλίγιστα πεντάφυλλα. τὰ δὲ δωδεκάφυλλα. τὰ δὲ εἰκοσάφυλλα. τὰ δὲ ἔτι πολλῷ πλείω ὑπεραίροντα τούτων. ἔνια γὰρ εἶναι φάσιν. ἃ καὶ καλοῦσιν ἑκατόνφυλλα.

Ciceronis locus de Aristolochia vt possit defendi. Cap. XXVI.

Cicero primo libro de diuinatione scribit Aristolochiam ab inuentore nomen, & inuentorem ip-

sam herbam ex somnio reperisse. Petrus Victorius sexti libri variarum lectionum, capite tertio Ciceronem arguit Plinij auctoritate, qui scribit grauidas huic herbæ nomen dedisse: quoniam esset, ἀρίστη λοχείαις. quod est, optima puerperijs, quam sententiam Dioscorides quoque secutus est. non videtur igitur ab inuentore nomen habuisse.

Probabile videbatur, Ciceronem memoria lapsum vnam pro alia herbam accepisse: nam plures sunt somnio repertæ, & plures ab inuentoribus nomen habentes; quamquam non facile est alteram reperire, cui vtrumque acciderit, & somnio ostendi, & iuuentoris simul nomen accipere, eo modo, quo de Aristolochia scriptum est a Cicerone. sed legenti mihi aliquando Græcum Nicandri interpretem oblatus locus est, vnde aliquid pro Cicerone desumerem. nam in theriacis, vbi Nicander Aristolochiæ mentionem facit, interpres inquit, ταύτην δὲ φησὶν Ἀριστοτέλης γυναῖκα εὑρηκέναι. hoc est, hanc ait Aristoteles mulierem reperisse Succurrebat igitur fieri etiam potuisse, ut illi mulieri fuisset Aristolochia nomen, atque vt illa somnio herbam reperisset; quod eodem Aristotelis loco scriptum negare quis audeat? Plinius quidem & Dioscorides mulieris huius nullam fecere mentionem, sed non ideo non potuit de ea Aristoteles aliquid scripsisse; origo illa nominis, ἀρίστη λοχείαις, aptissima est. sed argumenti genus infirmissimū est: quin potuit etiam mulier aliqua initio ob eandem causam sic appellari: quæ cū herbæ nomen dederit, dici ex secundario potest grauidas dedisse, ut Plinius scripsit. ad hæc sunt herbæ puerperis optimæ plures, quarum sunt alia nomina. insuper de re eadem opiniones diuersas esse translatitium est.

& ne-

& negationem comprobare operosissimum est. dictum à Cicerone, potuit si nō ab Aristotele, certe ab alio quopiam litteris traditum esse. itaque Ciceroni affirmanti credendum magis uidetur, quam Victorio neganti. Plinius & Dioscorides in aliam iere sententiam. at quod a Cicerone traditum est, quodque interpres Nicandri ex Aristotele scripsit, neque aiunt, neque negant. Quibus omnibus suam Ciceroni auctoritatem saluam & integram esse existimarem.

De morborum successione Hippocratis sententia potissimum, cum lectionum varietate consideratur. quorundam errores notantur. Cap. XXVII.

Iure dubitatur, vtrum omnis morborum successio mala sit, cum Hippocrates libro de affectionibus dixerit morbum alteri superuenientem plerumque interficere. contra autem multa sint exempla, quæ docent morborum successionem salutarem esse. verum si rem accurate perpendamus, intelligemus sententiam illam ex libro de affectionibus tunc duntaxat posse locum habere, cum grauior, & lætalis morbus mitiori, & nō lætali, aut minus lętali succedit, vt si quartanam hybernam acutus morbus excipiat, si a dysenteria in hydropem transitus fiat. alioqui successiones morborum multæ salubres notatę sunt, vt cum quartana continuę succedit, cum lienoso aduenit dysenteria, cum lippienti alui fluor accedit. Febrem vero mirum est, quam sæpe remedio esse traditum sit.

Hippocrates quartæ sectionis aphorismo quinquagesimo septimo, primo libro de morbis, libro de iudicationibus,

tionibus, in coacis prænotionibus. Febris, quæ neruorũ distentione, aut rigore (σπασμὸν, & τέτανον, sic Celsus interpretatur) laboräti superuenit, soluit morbum. sextæ sectionis aphorismo quadragesimo. Quibus dolor circa prçcordium fit sine inflammatione, his febris superueniens morbum soluit. eiusdem sectionis aphorismo quadragesimo quarto. Quibus ex stillicidio vrinæ Ileos (tenuioris intestini morbum Celsus interpretatur) superuenerit, in septem diebus pereunt, nisi febre superueniente satis vrina fluxerit. septimæ sectionis aphorismo quinquagesimo quarto. Quicunque hepar circumdolent, his febris superueniens soluit dolorem.

Hæc vero omnia Celsus secundi libri capite septimo his verbis complexus est. Nam & præcordiorum dolores si sine febre sunt, finit. & in iecinoris dolore succurrit. & neruorum distentionem, rigoremque; si postea capit; ex toto tollit. & ex difficultate vrinæ morbum tenuioris intestini ortum, si vrinam per calorem mouet, leuat.

Rursus Hippocrates secundo προῤῥητικῶν, dicit ad herpetas, quos Celsus ignem sacrum appellat, conferre, si vno die febris accedat. quem locum Celsus imitatus quinti libri, capite vigesimo octauo, vbi priuatim scribit de igne sacro (quẽ Zostera aliqui vocari simpliciter a Plinio dixerunt, etsi hoc nomine vocari solũmodo eũ scripsit, qui mediũ hominẽ ambit) inquit, medicamẽtũ eius fortuitũ est, vno die febris, quç humorẽ noxium absumat. quintæ sectionis aphorismo septuagesimo primo, A quartanis capti nõ admodũ a neruorũ distentione capiũtur, si vero prius capiãtur, & quartana superuenerit liberãtur. primo de morbis. Mulieri neruorum distẽtione laboranti a partu febrem superuenire bonũ.

sexti libri epidemion sectione sexta, A quartana correpti a magno morbo non capiuntur, si vero corripiantur prius, & succedat quartana liberantur. vbi Galenus ait, Non tantum quartanam, sed omne febris genus conducere aduersus frigidum crassumque succum, a quo magnum morbum fieri ipse putauit. sed opinionem sequutus omnibus febribus hoc tribuit. Hippocrates vero experientia, & vsu rerum doctus, soli quartanæ. quintæ sectionis aphorismo quinto, si ebrius quispiam repente obmutuerit, distentis neruis moritur, nisi febre corripiatur, aut vbi ad horam peruenerit, qua soluuntur crapulæ, vocem recuperet. de qua re secundo etiam de morbis hæc habet. Si quis ex ebrietate voce priuetur, & sane ipsum febris corripiat, sanus fit, si vero non corripiat, die tertia moritur. secundo προῤῥητικῶν *de lippientibus, si sordes pallidæ aut liuidæ fuerint, & lacryma multa; ac pallida, & in capite ardor fuerit, & de tempore dolores in oculum decubuerint, & vigiliæ his accesserint, necesse est vlcus in oculo factum esse, & timor est quoque vt talis rumpatur. prodest autem febris accedens, aut dolor ad lumbos innixus. quem locum vtinam Celsus recte sit interpretatus sexti libri capite quinto dicens, intus ruptum oculum febricula iuuat: quoniam Hippocrates significare videtur febrem conducere ad oculi tutelam ne rumpatur, non ad rupti medelam, vt Celsus scripsit. sextæ sectionis aphorismo quinquagesimo primo. Quicunque sani dolore capitis repente capiuntur, & statim muti fiunt, & stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris apprehenderit.*

Not. de Gal. & Hippocrate.

Celsi erratum.

De qua re cum loquatur secundo de morbis, locus est notandus propter lectionis varietatem. Sanum repente

Lectionis varietas.

pente dolor caput apprehendit,& ſtatim fit mutus,ac ſtertit,&os hiat,ac ſi quis illum appellet,aut moueat, dumtaxat ſuſpirat, nihil autem intelligit, & multum mingit.& mingere ſe non ſentit. hic, ſi non febris apprehenderit, in ſeptem diebus moritur, ſi vero apprehendit,vt plurimum ſanus fit; quæ verba ſic in Græco Frobeniano leguntur, ἢν μὴ πυρετὸς λάβῃ, ὡς τὰ πολλὰ ὑγιὴς γίνεται. *quæ lectio melior eſt,quam Aldina,quæ contrariam ſententiã continet.* ἢν μὲν πυρετὸς λάβῃ, ἐν τῇσιν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀποθνήσκει. ἢν δὲ μὴ λάβῃ, ὡς τὰ πολλὰ ὑγιὴς γίνεται. *quod eſt. ſi febris quidẽ corripit,in ſeptem diebus moritur,ſi vero non corripit,plerunque ſanus fit. cui lectioni contraria ſunt, quæ de morbo ſimili,vel eodem Hippocrates ante dixerat eodem libro, vbi loquitur de corruptione cerebri in ſecundo morbo.* ἀποθνήσκει ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν, ἢν μὴ μὶν πῦρ ἐπιλάβῃ. ἢ γὰρ ἐπιλάβῃ ὑγιαίνει. *ideſt,moritur in ſeptẽ dieb. ſi non ipſum febris corripuerit ſi enim corripuerit, ſanatur. contraria ſunt etiam,quæ habẽtur ſextę ſectionis aphoriſmo quinquageſimo primo antedicto. cumque Aldina lectio in his duobus locis Frobenianæ ſimilis ſit,eademque ſit ſententia prioris loci, non potuit ſine culpa differre in illo a Frobeniana. quapropter quod habet priori loco,* ἢν μὲν πυρετὸς λάβῃ, *debuit eſſe,* ἢν μὴ πυρετὸς λάβῃ. *quod vero deinceps* ἢν δὲ μὴ *habet, debuit eſſe tantum,* ἢν δὲ, *ſine aduerbio,* μὴ. *quemadmodũ eſt in Frobeniano. ſed error ſecundus neceſſario primum ſequutus eſt: cum in primo lapſus facilis fuiſſet a* μὴ, *aduerbio ad* μὲν, *coniunctionem. nec aliquis Aldinam lectionem comprobare debet, eo, quod ab Hippocrate dicitur,in morbis cum alter ſuccedit alteri,plerumque occidere; ergo cum alicui,cui capitis dolor repente acceſ-*

serit, ac statim vox intercepta fuerit, febris superuenit, existimandum esse propter febrem potius moriturum, quam conualiturum; quoniam ex dictis satis constat, non omnem morborum successionem mali consulendam esse.

Cuius rei extat etiam apud Platonem testimonium in Timęo, ubi scriptũ est, neruorum rigorẽ febre sanari.

Item Asclepiades generatim in febre remedium esse professus est, Celso teste quinti libri capite quarto, qui etiam secundi libri capite septimo inquit, denique ipsa febris, quod maxime mirum videri potest, sæpe præsidio est.

Sed quando huc accessimus, vt morborum successionem auxilio sæpius esse ostenderemus, respondeamus etiam quærentibus, vtrum hoc præsidij genus a natura tantum expectandum sit: an etiam tentandum a medico: nam vtrumque fieri antiquorum obseruatio, & auctoritas docet.

Hippocrates primo de morbis, verba faciens de his morborum permutationibus, seu successionibus, dicebat, talia in morbis fieri, δι' οὐδεμίην οὔτε ἀμαθίην, οὔτε σοφίην ἰητρῶν. ἀλλὰ ἀπὸ τοῦ ταυτομάτου, καὶ ἐπιτυχίης. *nulla medicorum inscitia aut sapientia, sed sponte, ac fortuito successu. sic Celsus, vt diximus, de sacro igne, medicamentũ eius, inquit, fortuitũ est, vno die febris.*

Sed & a medico tentandũ id est aliquando, vt quodammodo significatum est ab Hippocrate libro de locis in homine; vbi dicit, antiquos morbos difficilius curari, quam nouos, sed antiquos oportere primum nouos facere. ἀλλὰ νοσήματα τὰ παλαιὰ νέα πρῶτον ποιέειν. *exemplo etiam allato callosi vlceris, quod curãdum est eiecta primum duritia putrefactorio medicamento.* ἕλ-

κος

νος πεπωρωμένον ἐκβάλλοντα τὸ σκληρὸν στυπτηρίῳ φαρμάκῳ, ἔπειτα συνάγειν. de febre vero paulo clarius secundi libri epidemion sectione quinta, inquit, si puero nervorum distentio supervenerit, effice febrem. nam etsi legitur, πῦρ ποιεῖ. quod est febris facit, vel febrem, probabilis tamen est coniectura, quam secutus interpres, transtulit, febrem effice, legendum ratus, πῦρ ποιεῖν, vt respõdeat sequenti verbo, κλύζειν. sic enim congrua magis oratio, & sententia verior est.

De hac autem re Celsus tertij libri capite nono, inquit, sed est circunspecti hominis. & nouare interdum, & augere morbum, & febres accendere: quia curationem vbi id, quod est, non recipit, potest recipere id, quod futurum est. fuerat autem de lentis febribus locutus, de quarum curatione dixerat, in hoc casu medici cura esse debet, vt morbum mutet; fortasse enim curationi opportunior fiet. quam sententiam Galenus secutus decimi libri methodi capite decimo, dixerat, laborantem hectica, quæ curationem non recipit, in contrariam intemperiem transferẽdum esse, quæ sanationem recipere possit. ac rursus Celsus quinti libri capite vigesimo sexto modum explicat, quo vlcus vetustum nouandum sit, vt curatio possit adhiberi. curatur autem, vel medicamento exedente, vel scalpello. vbi notabunt viri docti, quid significent illa, vetus autem vlcus scalpello conijciendum est, an legi debeat concidẽdum est.

Hunc autem in modum receptum est, vitia ex alto trahere medicamentis, quæ ruborem & vlcera excitando in cute morbum permutant, Dioscorides, ἑτεροπάθειαν, appellat secundo libro, cum de sinapi dicit, quod conducit ad omne genus antiqui doloris, vbi ex alto corporis ad superficiem traducere volumus,

panem effectum, aut aliquid, quod vice panis in vsu esset. dicebã ego mazam, quoniam panis hordeacei mentionem obseruaui tantum post Hippocratis ætatem, Hippocrate ipso mazam tantum, quę fiebat ex hordeo, memorante. cuius etiam mentio diu ante Hippocratem ab Hesiodo facta est. panis autem eodem Hippocratis tempore fiebat ex tritico. & Homerus P. odysseæ panẽ vocauit, πύρνον, quæ vox a πυρὸς, quod significat triticum, originem habet.

De Romanis vero, idem Dionysius eodem loco dicebat, priscos legitima, sacraque matrimonia vocasse far racca, quoniam vetus, diuque consuetum Romanis alimentum fuit far. quod multum, præstansque in agro Romano nascebatur. & inquit, vt nos Græci hordeum vetustissimam frugem putantes, hordei primitias in sacris damus, ita Romani pretiosissimum, vetustissimumque fructum far putantes, sacrificia omnia ignea ab eo incipiunt.

Ouidius vero secundo libro Fastorum, Farra tamen neteres iaciebant, farra metebant, Primitias Cereri farra robusta dabant. & sexto, cum quæsierit, Pinguia cur illis gustantur larda Calendis, Mixtaque cum calido sit faba farre rogas? respondet, Prisca dea est, aliturque cibis, quibus ante solebat, & cæt. & paulo post, Sus erat in pretio, cęsa sue festa colebant, Terra fabas tantum, duraque farra dabat. Quæ duo mixta simul festis quicunque Calendis Ederit, huic lædi viscera posse negant.

Plinius decimi octaui libri capite septimo ex Verrio tradit, farre tantum e frumento Populum Romanũ trecentis annis vsum. & capite octauo, inquit, ex omni genere durissimum far, & contra hyemes firmissimum

vt significet suis tẽporibus, nec mazã panis, nec panẽ mazæ nomen habuisse. quod videre est lib. de veteri medicina, secũdo de diæta, lib. de salubri diæta, de affectionibus, de morbis muliebribus, secundi ἐπιδημιῶν, *sectione sexta, & libr. de diæta acutorũ. videre est etiã apud eius fere æqualẽ Aristophanẽ Pluto, cuius hæc sunt,* στετεῖσθαι δ' ἀντὶ μὲν ἄρτων μαλάχης πτόρθον, ἀντὶ δὲ μάζης φυλλ' ἰσχνῶν ῥαφανίδων. *idq; etiã seruatũ aliquanto post Hippocratẽ, suadetur Xenophontis verbis, quæ leguntur sexto libro de Cyri institutione.* ὅσις ἀλφιτοσιτεῖ, ὕδατι μεμιγμένην ἀεὶ τὴν μάζαν ἐσθίει. καὶ ὅσις ἀρτοσιτεῖ, ὕδατι δεδευμένον τὸν ἄρτον, *distinguebatur autẽ maza a pane, quod hic ex tritico, illa ex hordeo conficiebatur, quod satis Hippocrates significat, libro de veteri medicina inquiẽs,* ἐκ μὲν οὖν τῶν πυρῶν βρέξαντες, καὶ πτίσαντες πάντα, καὶ καταλέσαντες, καὶ διασήσαντες, καὶ φυρύξαντες, καὶ ὀπτήσαντες ἀποτέλεσαν ἄρτον. ἐκ δὲ γε τῶν κριθέων μάζαν. *Si igitur, vt verba hęc significãt, vt ex tritico panis, ita ex hordeo fit maza, scilicet vt illic triticum, ita hic hordeum madefaciendo, deglubendo, terendo, cribrando, subigẽdo, & assandio; differentia tantu est, quod diuersa vtriusque materia est. indicat hoc idem secundo libro de diæta, vbi hordei facultatem describens mazæ tantum mentionem facit, panisque vocabulo nunquam utitur: contra uero de tritici uiribus uerba faciens, panem dumtaxat nominat, mazæ mentionem penitus omittit, panem uero ex hordeo nunquam memorat. ex dictis Xenophontis uerbis notandum est, quod de maza dixit* ἀλφιτοσιτεῖ, *quoniam Hippocrates quoque libro secundo de diæta, cum de hordeo & maza loquitur, farinam hordei,* ἄλφιτον, *appellat, cum uero*

vero de tritico & pane, ἄλητον, tritici farinam vocat, quam ἄλευρον libro de affectionibus nuncupat sic etiam Aristophaues Equitibus ordine profert, κριθὰς, ἄλφιτα, μάζας (quamquã comite μαστίκας dicit) vt innuat mazã ex hordeacea confectam farina. dicebat cleon se populo daturum hordea, deinde quasi maius quiddã ἄλφιτα pollicetur, at quasi summum munus e contra Allanto polis eidem promittit se mazas & obsonium præbiturum. quod etiam facit, vt in Xenophontis verbis minus mihi placeat, τὸ ἀρτοσιτεῖ, cuius loco libẽtius legerem, ἀλητοσιτεῖ, quod tale est respectu panis, quale ἀλφιτοσιτεῖ, respectu mazæ. non propterea nego, τὸ ἄλφιτον, dictum de alio farinæ genere ab Hippocrate, quoniam dictũ Galenus in exegesi testatur, sed cum adiectione ἄλφιτα πύρινα, φακῶν ἄλφιτον. sine adiectione vero, hordeaceã intelligendã affirmo. ex his igitur adducor, vt credam, Hippocratis ætate apud Græcos nihil ex hordeo fieri solitum quod panis appellaretur. in sequẽti vero tempore, panis vocabulum vsurpari cœptum in his etiam, quæ fierent ex hordeo, notaui primum libro admirabilium auscultationum, qui Aristotelis esse dicitur, in quo legitur, Hordeum in Thraciæ parte quadam nasci. cuius si aut mazam, aut panem aliquis homo comederit, illius stercora ab vllis suibus, aut canibus non attingi. aut igitur fiebat iam panis ex hordeo, aut panis, & mazæ vocabulum confundi cœperat. sed posterius a me non probatur, cum posteriora etiam sæcula sic distinxerint panem inter & mazam, vt res diuersas nomina varia significarent. Galenus enim primo libro de alimentis, vtramque rem separatim prosequitur, ac diuersas habere vires tradit, potissimum afferens, tantum mazam in alendo corpore ab hordeaceo

pane

pane relinqui, quantum hi a triticeis relinquuntur. item mazam ægrius concoqui, & ventriculum flatu, quam panes hordeaceos, magis implere. quam sententiam posteriores Galeno Aetius, Paulusque retulerũt. Iulius etiam Pollux sexti libri capite vndecimo, panes hordeaceos, & mazam seorsim commemorauit. quod vero non aliter mazam posteriores intellexerint, quam Hippocrates, illo maxime persuasum est mihi, quod Galenus eodem loco mazam ait, Atheniensium more a Philotimo, τριπτὴν, vocatam. Hippocrates autẽ secundo libro de diæta, mazam aliam ἄτριπτον, aliam τριπτὴν appellauit. cuius epitheti Galenus, cum de panibus loqueretur hordeaceis, nusquam meminit. quamobrem par est existimare mazam Hippocratis aliud, quam posteriorum panem hordeaceum fuiße.

Quæ apud Hippocratem, vel cibi, vel potionis gratia ex hordeo parentur. Cap. XXX.

Ex hordeacea farina fiebat maza, vt panis ex triticea: quod aperte demonstratum est ab Hippocrate libro de veteri medicina. scilicet hordeum quemadmodum triticum aqua perfundebatur, decorticabatur, molebatur, cribro farinario subcernebatur, subigebatur, ac demum aßabatur. hoc autem sic assatum erat maza. ac licet panis hordeaceus posteriorum (vt ante notauimus) a maza Hippocratis differat, tamen ipsa maza non inscite panis hordeaceus vocari potuisset, nisi iam receptum esset, vt panis vocabulo simpliciter enunciato triticeus intelligeretur; quamobrem hordeaceus significari non poterat nisi cum adiectione, panis

bordeaceus. hic autem commodius uno mazæ uocabulo significabatur: quod Græce linguę diuitias arguit. hęc igitur erat maza simpliciter dicta: cum adiectione uero multis modis pro uario conficiendi modo dicebatur: quam rem alibi persecuti sumus. posteriores uero, qui simpliciter dixerunt, mazam fieri ex farina & oxymelite uel posca, uel aqua mulsa, uel aqua, uel uino dulci, uel sapa, uel oleo, uel lacte; hi uisi sunt sua potius quam Hippocratis tēpora animaduertisse. a cuius sententia longius recesserunt, qui in Hesiodo mazam, caseum esse dixerunt.

Fiebat ex eadem farina cyceon permixta aqua, aut vino, aut melle, aut lacte. quod coniicio ex libro secundo de diæta, vbi cum prosequitur hordei, & eorum, quæ fiunt ex hordeo facultates, eo loco cyceona commemorat (non alia re misceri, quam dictis, significās) quo ἄλητον, cum de tritico loquitur. est autē ἄλητον farina tritici, quam dicit potari vel ex aqua, vel ex lacte, vel melle, vel oleo. modo autem simili de cyceone verba fecerat. est igitur hæc inter mazam & cyceonem differentia, si, quæ ab Hippocrate dicuntur, accurate perpendantur, quod maza cibus erat, qui panis instar ex hordei farina conficiebatur. Cyceon vero sorbitio, aut potus ex farina eadem temperata, & permixta, alias aqua, alias vino, alias oleo. nec prohibet quicquam plura simul aliquando permixta, vt in cyceone, de quo Homerus in κ. Iliad. non nego, Galeni auctoritate commotus, quin maza quandoque oleo & melle subigeretur Hippocratis tempore, cuius illud libro de internis affectionibus, μάζαν λιπαρὴν Galenus ipse in exegesi linguarum Hippocratis, interpretatus est mazam oleo & melle subactam. quod Athenæus quoque libro quarto asserit.

aßerit. at hæc simplici mazæ nomine non intelligebatur, sed cum adiectione, sicuti etiam in eodem libro de internis affectionibus legitur, maza mollis: quoniam maza simpliciter non erat mollis. quemadmodum panis diuersa genera erant, quæ proprijs appellationibus distinguebantur, quæque recensere longum & superuacaneum esset; sed simpliciter panis intelligebatur, qui ex triticea farina conficiebatur. Sed hæc alibi latius examinantur. maza autem & cyceon tam ab ægrotis, quam a bene valentibus sumebantur.

Præterea, ægrotis datur ab Hippocrate, vt legitur in fine libri tertij de morbis, potus alius ex farina hordei, & adianto modico, & aqua crudis. datur etiam ex farina eadem & aqua coctis (licet sit qui neget coctam ex farina hordei aquam in vsu fuisse apud Græcos) vt in fine primi libri de morbis muliebribus, in ea videlicet parte, quæ notha reputatur, quæ tamen est Græci, ac vetusti auctoris. illic enim πτισάνης λέκυθον, viri docti ptisanæ farinam interpretati sunt. his autē potibus proprium ab Hippocrate nomen nullum est inditum. hactenus de farina.

Altera ex parte hordeum integrum accipiebatur, & a cortice mundabatur. hordeum hoc pacto mundatum ptisana (quoniam πτίσσειν, aliud non est, quam detrahere corticem) vocabatur. quam alias crudam, alias, si coqueretur, coctam Galenus appellat primi libri de diæta acut. morb. commentarij textu decimo octauo. Hippocratem uero nusquam cum adiectione crudam, uel coctam uocasse animaduerti. sed eodem libro tam coctam, quam crudam ptisanam simpliciter nuncupat. notat insuper Galenus eiusdem commen-


tarij textu vigesimo sexto, eandem dici ptisanam non colatam, & ptisanam totam. videbatur mihi, crassa quoque eadem ab Hippocrate vocari, eiusdem libri textu decimo tertio.

Cocta autem ptisana linteo percolabatur, vt idem Hippocrates auctor est, cuius verba sunt eodem libro, δι᾽ ὀθονίου διηθέυοντες. *colatum illud vocatur Græce,* χυλὸς πτισάνης, *Latine succus ptisanæ. aliqui cremorem ptisanæ interpretantur; quæ appellatio frequens reperitur in Cornelio Celso, ac priuatim quarti libri capite decimo tertio, illis verbis, percolato ptisanæ cremore; visus est illa Hippocratis animaduertisse,* πτισάνας ἀδιηθήτους, & διηθέυοντες τὸν χυλὸν. *Cato vero libro de re rustica, cremoris vocabulo sic vtitur, vt ex eo appareat,* χυλὸν, *recte verti cremorē: nam de amylo inquit, id in linteum nouum indito, exprimito cremorem in patinam. at similiter ptisanæ succus exprimitur, qui idcirco apte cremor appellatur.*

Præterea potū ex hordeo Hippocrates nominat, quē ab eo significari primi libri de acutorum morborum diæta textu quadragesimo primo, & secundi textu decimonono, & tertij sexagesimo, dicente, alios vti tota ptisana, alios succo, alios potu; neque aio, neque nego. nam etsi probabile videtur, ex eadem re factum potū, quem nominat, ex qua sorbitionem intelligit, videlicet ex hordeo. tamen primo libro rem latius exponens, aperte ostendit, pro potu se intelligere, oxymel, melicratum, aquam. at sine dubio hordeaceum potum nomitertij libri textu quadragesimo tertio, τὸ κρίθινον, *quē nonnulli interpretes aquam hordei dixerunt intelligendam. etsi ab alijs negatum sit, tam apud Græcos, quam apud latinos, haberi vllam huiusmodi aquæ mentionē.*

tamen


tamen eam quoque fieri solitam ille locus perspicue docet, in quo hæc leguntur. Si siticulosi fuerint τοῦ κριθίνου ὕδατος, aquam hordeaceam bibendam dato. est textus septuagesimus primus libri quarti de diæta acutorum. quem si quis genuinum Hippocratis esse negauerit Græci saltem auctoris esse, negare non poterit. sed potus alios descriptos nouimus huic valde similes quē nostri vocant aquam hordei. tertio libro de morbis, cū inquit, Hordeum Achilleium magnum ac plenum heminę mensura siccato, & acutis spicis ablatis, vbi probe laueris, aquę congio affuso, coquito ad dimidias, frigefacito, ac bibendum dato. & deinde; ait, Hordei torrefacti probe loti chœnicen dimidiam in aquæ congio bis, aut ter feruenda sinito, & frigidam exhibeto. quamobrem, vt licet asserere aquæ hordei appellationem raro inueniri, ita negari non debet rei huius aliquem vsum apud Græcos extitisse.



MARSILII CAGNATI VERONENSIS

DOCTORIS MEDICI, ET *Philosophi variarum obseruationum.*

LIBER SECVNDVS.



VINA CVR AB ANTIQVIS condirentur. Cap. I.



INA pluribus modis a maioribus condiri solita inuenimus, quoniam non una erat, propter quam condirentur causa, non unus finis, sed plures. Primam uero, ac præcipuam causam eam fuisse crediderim, ut res familiaris salua, & integra conseruaretur. quamobrem modos excogitarunt, quibus uinum perenne fieret, & in uetustatem seruari posset. cura quoque, inquit Columella duodecimo libro, adhibenda est, ut expressum mustum perenne sit, aut certe usque ad uenditionem durabile.

Huic proxima causa sanitas. unde etiam innumerabilia pene genera fictitij uocati uini reperta sunt, quæ dicuntur a Græcis, Latinisque auctoribus. duo autem proposita uidebantur, aut enim condiebantur medica-

minibus ea spe, vt in vino sic condito idem præsidium esset, quod in ipso medicamine inesse credebatur: aut alia via solum hoc quærebatur, vt sani pariter, & ægri sine periculo vinum potarent. vsus addendi medicamina Plinij ętate fere exoleuerat, vt ipse auctor est primo capite libri vigesimi tertij, vbi causam quoque affert, quod ipsis rebus, ex quibus vina illa finguntur, vti possumus. & quis, inquit, satius censeat, absynthite vino vtendum potius, quam absynthio ipso? ut uero ęque omnibus salubris esset vsus vini, prodesse maxime visum est, generosi & valde odorati vires infringere, nam alioqui vires bibentium ab ipso franguntur. idem Plinius ait capite decimonono libri quartidecimi, Aliquibus in locis decoquunt ad sapas musta, infusisque his ferociam frangunt. & capite vigesimo, crapula compesci feritatem nimiam, frangique vires (seu virus vt aliqui legunt. est autem crapula Plinio resina cocta, ut ait libri decimi sexti capite vndecimo, non autem fex resinæ, vt aliqui voluerunt) quamquam nec sanitatis gratia permixtiones admodum probarentur, vt idem est auctor primo capite libri uigesimi tertij, saluberrimū, cui nihil in musto additum est: meliusque si nec uasis pix affuerit. & septimo capite quartidecimi ait, Ephesium uinum salubre non esse, quoniam mari & defruto condiatur, & quod de sanitate, idem de rei familiaris utilitate dicendum est. de qua agens Columella dicebat, quæcunque uini nota sine condimento ualet perennari, optimam esse eam censemus, nec omnino quicquam permiscendum, quo naturalis sapor eius infuscetur. id enim præstantissimum est, quod suapte natura placere poterit. ualetudinis gratia insuper uina faccis percolabantur,

quod a Plinio ſæpius memoratum eſt. ſed primo capite eiuſdem vigeſimi tertij, vtiliſſimum omnibus ſacco viribus fractis. Theophraſtus ſexto libro de cauſis plãtarũ appellauit οἶνον σακκιζόμενον. ex quo pingue quiddam ſupernatans auferebant ad vſum lucernarum. vocat etiam in eodem libro, ἠθικὸν οἶνον. colo tranſmiſſum; quod ſi eſt idem, vt par eſt, quod Hippocrates libro, περὶ παθῶν vocat, διαχεόμενον, ἀποψυχόμενον, διηθούμενον, certum eſt imbecillius hac opera fieri ſolitum, etenim Hippocrates, inquit, λεπτότερος γίνεται καὶ ἀσθενέστερος. His autem exiſtimari iure optimo poteſt, primum a neceſſarijs ortam eſſe vini condiendi rationem: quæ ad nimium deinde proceſſit cauſa luxus, qui non hæc tantum ad ſe conuertit, ſed ad plura inuenienda coegit ingenia.

Itaque non contenti homines vinis firmitatem comparaſſe debilibus, vt in vetuſtatem ſeruarentur; vires etiam augere tentarunt, ac moræ impatientes, vetuſtatem accelerare. ideo pix & reſina, quæ primum ad iuuandam rem familiarem opportune permiſcebantur, ad ætatem deinde ſimulandam ſunt vſurpatæ. vigeſimo quarti decimi Plinius, aſperſu, dicebat, picis odorẽ vino contingere, & ſaporis quadã acumina, vehementiuſque id fieri crudo flore reſinæ. viderique vetuſtius dicebat Plutarchus quinti ſympoſiacon problemate tertio. vſos autem nonnullos vetuſtatis cauſa loco calido, patre Galeni auctore, mihi non ſatis conſtat, quoniam Galenus primo libro de antidotis ſatis manifeſte dixit, patrem ſuum inductum, vt cella calida vinũ conderet, ne aceſceret (erat enim aquoſum adeo & imbecillum, vt frigus pati nequiret) non vt vetuſtatem acquireret: tamen ait etiam, eodem artificio quam ce-

lerrime

lerrime vetus effectum; sed hoc dictum accipi potest ad significandum loci calorem non prohibuisse, quin cito inueterasceret, cum sua natura eßet ad vetustatem cito recipiendam accommodatum: nam dixerat ibidem debilia, & aquosa vino citius inueterari. & Plinius eodem primo vegesimi tertij, leuissimum est, inquit, quod celerrime inueteratur. illud clarissimum est, quod ipse Plinius scripsit octauo quartidecimi, vocatum a Græcis Thalaßiten, vasis musti deiectis in mare, quo genere præcox fit vetustas. & illud capite decimo octauo, sic & mari nauigato, cuius iactatus his, quæ durauerint, tantum vetustatis adijcere sentitur, quantum habuerint. illudque demum in septimo eiusdem, nec Tmoliti per se gratia vt vino, sed cuius dulci admixto, reliquorum duritia suauitatem accipiat, simul & ætatem, quoniam vetustiora protinus videntur. quod non multum abest ab eo, quod ait Galenus, libro de bono & malo succo, impostura a nonnullis fieri solitum, nouello scilicet vetustum permiscentibus, vt nouum pro vetusto venderent. Quod Massilienses priuatim vinis vetustatem fumo compararent, ex Plinio perspicue non intelligitur, qui tantum ait, in Narbonensi fumo tingi vinū, & aloe adulterari. de Massilia dixit, quod genus aliud pinguius ad alia condienda gigneret, succosum nuncupatum. de vetustate nihil expreßsit, sicuti nec Aristoteles, cum dixit quarto libro meteor. in Arcadia fumo vina in vtribus exsiccari solita. Acron apud Horatium ode octaua libri tertij hoc asseruit. Martialis sæpe indicauit vinum Massiliense fumo affectum, sed ætatis causa eo tantum in loco, Improba Masiliæ quidquid fumaria cogunt, Accipit ætatem quisquis ab igne cadus. tamen generatim Plinius primo vigesimi tertij

aperte indicat. vinum fumo inueterari solitum, in quo tamen diuersæ fuere sententiæ; nam, inquit, iam & patres familias ætatem ademere his, quæ per se cariem traxere. quo certe vocabulo satis consilij dedere prisci. quoniam & in materijs cariem fumus erodit. at nos e diuerso fumi amaritudine vetustatem induci persuasum habemus. Palladius quoque, communiter verba faciens decimo libro ex Græcis auctoribus, ad ętatem longam simulandam, & medicamenta quædam permisceri, & vasa in fumo poni solita, narrat. maturare autem vetustatem a luxu profectum, indicat hominum, qui hæc excogitarunt genus. Plinius eodem loco inquit, Mangones ista in apothecis excogitauere. propterea scriptum est a Galeno quoque libro de bono & malo succo, Mangones apud Romanos, vina inueterata, quale fuit Cecubum vocatum, nouis miscuisse, vt noua venderent pro uetustis. certe bonæ ualetudini hęc nihil conducebant, quoniam eodem loco Galenus uetustiorum potum ęque, ac nouissimorum, fugiendum monet. & Plinius eodem primo misceri, dixit, plurima genera, omnibus inutile. Fumo uero inueteratum insaluberrimum esse. item uetusto condire aliud minus annosum insalubre esse. Galenus primo libro de antidotis scripsit, fumo uinis acquiri uim ad excitandum capitis dolorem. Verum non pice tantam & resina delitiarum studiosi abusi sunt, sed saccis etiam, cũ dicat Plinius uigesimo secundo quarti decimi, ut plus capiamus sacco frangimus uires. item excogitarunt sapores, atque colores eadem de causa permutare, splendorem afferre, odoremque adsciscere. quæ si quis sanitati condita certet, uereor ne delitiarum potius patronus, quam bonæ ualetudinis curator habeatur.

Quid

Quid Bdella significet apud Hippocratem. Cap. II.

Hippocrates secundo libro prædictionum, qui Græce inscribitur, προῤῥητικῶν β'. hæc, habet. Si cuipiam fauces implentur sanguine sæpe singulis diebus, ac noctibus, cui neque caput antea doluit, & qui neque tussim habuit, neque febre correptus fuit, neque dolorem habuit pectoris, neque dorsi, huius considerandæ sunt nares & fauces, an vlcus aliquod habere compareat in hoc loco, aut βδέλλαν, quæ digna sunt, quæ considerentur, ob id potissimum, quod viri antiqui in earum explanatione inter se magnopere dissentiunt.

Galenus quarti libri de locis affectis capite quinto hunc locum imitari quidem videtur. sed pauciora, & quædam diuersa refert, quam Hippocrates, & omisso vlceris vocabulo, solius bdellæ mentionem facit, & inquit, si pluribus diebus aliquis cruorem & screauerit, & emunxerit, idque citra capitis dolorem, vel grauitatem, siue præsentem, siue præteritam, neque ictum in ea parte acceperit, huius & totum per nares meatum, & eam oris partem, qua ad nares foramen tendit, accurate considerare oportet, nam fieri potest huiusmodi accidens, bdella (hoc est hirudine) huic loco adhærente.

Cornelius Celsus contra secundi libri capite sexto, fere totidē, quot Hippocrates enumerans, bdella omissa, vlcus tantum memorauit. cui fauces, inquit, sanguine, & interdiu, & noctu replentur sic, vt neque capitis dolores, neque præcordiorum, neque uomitus, neque febricula præcesserit, huius aut in naribus, aut in faucibus ulcus reperietur.

Tum dissentiunt inter se Galenus & Dioscorides, non ille Anazarbeus, sed alius qui propinquior Galeni temporibus fuit. Dioscorides enim hoc Hippocratis loco bdellam interpretatus est venam varicosam. Galenus autem sanguisugam.

Constat autem ipsius Galeni uerbis in enarratione linguarũ Hippocratis in uocabulo βδέλλα, quid illũ adduxerit, ut ita existimaret, cuius uerba hæc sunt βδέλλα. in maiore de prædictione, & secundo, ut quidam inscribunt, uaricosam venam ait sic nominari Dioscorides. mihi autem uidetur, proprie dici nomen de ipso animali: etenim incidi olim in id, quod in eo libro dicitur, & dubitantibus multis de ijs, quæ fierẽt, solus ego præcognoui ex scripto impulsus ueritatẽ. hæc ait, quæ uertenda sic censui, cum in edita interpretatione Galeni sentẽtia minus perspicue expressa sit. quod uero se præcognouisse Galenus asserit, illud uidetur esse, quod quarti libri de locis affectis capite quinto narrat, se uidelilicet intra cuiusdam nares, qui se in stagno, in quo erãt sanguisugæ, exercuerat, hirũdinem conspexisse; qua causa erat, ut ille sanguinem ad eum modum expueret, quem paulo ante dixerat, quemque ex eodem loco nuper retulimus. quid autem Dioscoridem mouerit, ut bdellam pro uena uaricosa acciperet, non constat.

Dubitari autem potest primum communiter, utrum sit uera Dioscoridis interpretatio, deinde priuatim, utrum congrua sit loco, de quo nunc agitur.

De priori dubitatione aliud dicere non habemus, quam uerisimile non esse, Dioscoridem suo arbitratu finxisse huiusmodi interpretationem, sed potius alicuius Græci auctoritatem secutum. non habemus quidem alium ex antiquis auctorem, qui illam comprobet, sed

neque

neque est, qui refellat: quando nec Galenus illam explodit; licet enim dixerit, videri sibi dictis Hippocratis congruens, bdellam accipi pro animali, tamen hoc nō vetat, quominus verum sit, eodem vocabulo venam varicosam, & sanguifluvm aliquando significari. nec etiam aliquis merito reijciat Dioscoridis huius auctoritatem, quoniam Galenus in proemio libri, in quo linguas Hippocratis explanat, auctorem illum æstimare minus videatur; animaduertere est enim ab eo non, vt minus fidum interpretem, & explanatorem vocabulorum Hippocratis, redargui, sed vt eum, qui vocabulorum Hippocratis interpretationē professus, ne tertiam quidem illorum partem exposuerit, ac multum operæ in ijs posuerit explicandis, quæ nulli notissima non erant. alioqui probabile est, si ad rerum similitudinem animum aduertamus, venā varicosam βδέλλαν, vocatam translata appellatione ab animali, quod ab emulgendo, quod Græce βδέλλειν, dicitur, βδέλλα nuncupatū est. videre est autē in brutis, quæ quotidie passim secantur, quasdam sanguinis portiones tereti figura, quæ sanguisugæ formam perspicue præseferunt, quas si vel leuissime manibus tractes, sanguinem paulatim quasi fundere videas, non tamen veluti ex vase sanguis funditur, sed ipse, qui eo pacto coaceruatus est, sanguis sensim ipso attrectatu liquescit. cui rei simile quid in hominibus aliquando fieri negare non est, quod Græci antiquitus nomine ob similitudinē translato βδέλλαν dixerunt.

De altera dubitatione plura dicēda sunt. scilicet quęritur, vtra interpretatio Hippocratis verbis aptior sit, Galeni ne, an Dioscoridis

Galenus contra Dioscoridem alio argumento vsus

non est, præter sui ipsius testimonium, qui scilicet aliquando hirudinem intra nares alicuius se vidiße asseruit. aliqui postea se confirmaße Galeni sententiam existimãt illa ratione, q᷑ Herodotus, cuius dialecti penitus similes Hippocraticis ab eruditis oĩbus eße putãt, in secundo libro haud dubie bdellã ꝓ hirudine accepit.

Dioscoridis autem rationes ab antiquis traditas habemus nullas. plura tamen sunt, quæ Galeni sententiæ aduersantia, Dioscoridis interpretationem Hippocratis orationi congruam esse demonstrant, inquit Hippocrates, si cuipiam fauces implentur sanguine sępe singulis diebus, ac noctibus, & cæt. ergo, si bdella sanguisugam significat, poterit sanguisuga multos dies hærere faucibus alicuius ipso ignaro, hoc autem pluribus de causis incredibile & absurdum est. primum enim sanguisuga tandiu fixa manere, & sanguinem trahere non potest: nam in dies experimur, quod vbi sanguine se impleuerit, subito decidit. deinde fieri non potest, vt cruciatus, quem hirudo inducit, tandiu sustinentur. quod illa ostendunt, quæ Plinius de elefantis scribit octaui libri capite decimo, Cruciatum in potu maximũ sentiunt hausta hirudine, quam sanguisugam cepisse appellari aduerto: hæc vbi in ipso animæ canali se fixit intolerando afficit dolore. ostendit etiam Columella cum de bobus loquitur sexti libri capite decimooctauo, magnam perniciem sæpe affert hirudo hausta cum aqua: ea adhærens faucibus sanguinem ducit, & incremento suo transitum cibis præcludit. fieri quidem potest, vt imprudens aliquis hauriat sanguisugam, vt si è sordido fonte auidius bibat, vel vt Nicander ait in Alexipharmacis, ἢ ὅδ᾽ ὑπὸ ζοφέης νυκτὶ κεκαλυμμένος αὐγάς Ἀφραδέως κρωσσοῖο κατακλίνας ποτὸν ἴσχει, *idest,*

id est, *Aut oculos quando circum nox funditur atra, Hauriat vt, sese ad situlam sine mente reclinat*; at Dioscorides sexto libro ait, deuoratas hirudines dignosci argumento, quod imago suctus cuiusdam sentitur. an igitur si faucibus hæserit suctus non sentietur, ac latere tandiu posse credibile est? tamen Hippocrates huius argumenti mentionē non fecit, vt nec doloris, de quo Plinius & Columella locuti sunt, quod tamen erat maxime opportunum, si de bdella animali verba faciebat. tacuit etiam id, quod Galenum maxime adduxit, vt sanguisugam deuoratam, atque alteram intra nares affixam coniiceret; videlicet potum aquarum, in quibus hirudines versari compertum sit. hoc enim vno argumento in vtraque historia vsus Galenus reperitur. Insuper si diligenter animaduertas, intelliges tam absentibus, quam præsentibus iis, quæ narrantur ab Hippocrate, fieri posse, vt hirudo in os alicuius repat. quamobrem inania ad hanc rem coniiciēdam argumēta proposuisset. nonne aliquis, cui caput antea doluit, aut tussim habuit, aut febriit, aut pectoris, vel dorsi dolore laborauit, sitire æque potest, atque alius, cui nihil dictorum acciderit? eidemque sitienti nonne & illud euenire potest, vt sordido ex fonte bibat, aut vase aliquo, in quo hirudines sunt? si igitur hic sanguinem reddiderit eo modo, quem Hippocrates narrat, (concedamus etiam neque suctum, neque cruciatum in faucibus vllū ab eo sentiri) vacuus esse non debuerit suspicione sanguisugæ, quapropter inane argumentum est, caput non doluit, non tussiit &c. ergo sanguisuga, aut vlcus inest in eius faucibus, vel intra nares.

Hæc ostendunt bdellæ vocabulum Hippocratis orationi, si pro hirudine accipiatur, non conuenire. quibus

bus adductus Alexander Petronius, vir medicinæ longe peritißimus, quinto dialogo de re medica, Dioscoridis interpretationem probauit, ac primus ætate nostra rem hanc, vt & alias plurimas, animaduertit.

In quam sententiam, vt ego quoque discedam, faciunt præter dicta, quod primo aspectu vlceris mentio cum sanguisugæ, minus, quam cum venæ varicosę mentione conuenire videtur. attentius vero consideranti, oratio videtur Hippocratis imperfecta, quemadmodum Galeno visa est accipienti bdellam pro animali: quoniam fieri potest, vt quis eundem in modum sanguinē expuat non vlcere, non sanguisuga, sed vulnere & ictu aliquo; licet hoc & sine præcedenti dolore capitis, vel pectoris, vel dorsi, sine febre, tussi, vomitu, ac pariter vna cum his, vt de sanguisuga dictum est, intelligi possit. quæ Galenus intuitus, Hippocrati illud adiunxit; neque ictum in ea parte acceperit; & silentio præteriit tussim, vomitum, febrem, dolorem pectoris, dorsique. dolorem tantum capitis memorauit, & grauitatem adiecit tam præsentem, quam præteritam; quæ tamen eadem ratione omitti potuissent: quoniam sola aquarum cōtemplatio sanguisugæ suspicionem satis inducit, quo argumento sublato, cetera sunt inania. vt ante quoque dictum est.

Sed verisimile est, Hippocratem voluisse rationem docere cognoscendi morbum, non exterius aduenientē, quem ipsa sola exterior caūsa satis indicat, sed cuius origo interna sit: ut quemadmodum ulceri, ita etiam bdellæ cognoscendę utile sit nosse, an febrierit, an capite, pectore, dorso doluerit, an tussierit, an uomuerit. nā si horum nihil adsit, neceßse est in faucibus, uel intra nares ulcus esse, aut uaricosam uenam. hoc autem pa-

ſto conuenit bdellæ mentio cum ulceris mentione, & fruſtra additur, conſiderandum eſſe, an aliquis ictum acceperit, quoniam de morbis ſermo eſt, quorum interna, non autem externa eſt origo.

Prçterea inquirendum eſt, an ſit aliquid, quo ſententia Hippocratis, iuxta Dioſcoridis interpretationē, confirmari, ac illuſtrari magis poſsit. iam dixi quam ob cauſam uenæ uaricoſæ, & ſanguifluæ bdellæ appellatione apud antiquos uenire potuerint. modo explicabo, an aliquid huiuſmodi intra os, aut nares fieri ſoleat, idque auctoritate, & exemplis.

Quod uarices potiſsimum dicantur uenæ tumentes in cruribus, in temporibus, & in uentre, maxime circa umbilicum, ut ſcriptum a Galeno eſt libro de tumoribus præter naturam ſatis conſtat. Sed & in pectore, ac pulmone uarices fieri, docetur ab Hippocrate libro primo de morbis, & libro de internis affectionibus, a quo illud etiam dictum eſt primo de morbis, ſanguinem primum quidem exiguum & ſubnigrum, deinde uero multum, & ſinceriſsimum expui ab eo, qui laborat pulmonis uaricibus, ſeu uaricoſis uenis; nam eo loco dicit fieri tractum ueluti uaricem, & paulo poſt, uenas uariciformes appellat, quamquam libro de internis affectionibus uaricem in pulmone aperte dixit.

Conſtat etiam, quod apud Ariſtotelem hæmorrois dicitur non ſolum de uenis, quæ in ſede tumentes ſanguinem fundunt, ſed de aliјs quoque, a quibus ſanguis profunditur æque, ac ab illis, quæ in ſede manēt. locus eſt clariſsimus primo de generatione animaliū ὥσπερ οὖν ἐν ταῖς κοιλίαις διὰ τὴν ἀπεψίαν γίνεται διάῤῥοια, οὕτως ἐν ταῖς φλεψὶν, αἵ τ᾽ ἄλλαι αἱμοῤῥοΐδες, καί αἱ τῶν καταμηνίων. καὶ γὰρ ἄυτη αἱμοῤῥοΐς ἐστι. *ideſt, ſicut*

igitur

igitur in ventribus propter cruditatem fit profluuium, ita in venis aliæ fiunt hæmorroides, & menstruorum, etenim hæc etiam hæmorrois est. & hæc ita definita sint. Aristoteles igitur secundo libro de partibus animalium rem narrat, quæ aptę quadrat Hippocratis orationi iuxta Dioscoridis interpretationem, inquit, ἐνίοτε δὲ καὶ ἐκ τοῦ στόματος αἱμοῤῥοΐδες ἄπονοι γινόνται, καὶ οὐχ' ὥσπερ ἐκ τῆς ἀρτηρίας μετά βίας, idest fiunt etiam aliquando hæmorroides ex ore labore nullo, neque vt ex arteria violenter. hoc autem illud videtur esse, quod Hippocrates significauit verbis iam dictis, ex vena uaricosa intra fauces, vel nares sanguinē exire sine dolore capitis, pectoris, dorsi, sine tussi, sine vomitu, sine febre. hæc enim comitari solent, sanguinis reiectionem, vel ex arteria, & pulmone, vel ex ventriculo, vel ex capite. sine his vero dici sanguis potest effundi sine vi, & sine labore, nec refert, quod Aristoteles hæmorroidis vocabulo vtatur, cum Dioscorides varicosam venam interpretatus sit, quoniam Aristoteles vndecunque venæ sanguinem profundant, hæmorroidis vocabulum vsurpat.

Extant vero huius rei exempla apud Plinium vndecimi libri capite trigesimo octauo, dicentem sanguinis profluuium fit multis per ora stato tempore, vt nuper Macrino Visco prætorio, & omnibus annis Volusio saturnino vrbis præfecto, qui nonagesimum etiam excessit annum. cuius morbi genus si assignare quis velit, nihil videtur accomodatius dici posse (etsi Plinius alia non retulit, quæ præterea illis contigerunt, quos ita laborasse testatus est) quam habuisse eos intra fauces, vel nares, vlcus, aut bdellam, idest uaricosam venam, a qua sanguis effluebat, quemadmodum ex his solet.

let, quæ in sede positæ sunt. His igitur videtur nobis satis explicatum, vt Dioscoridis interpretatio uerbis Hippocratis conueniat.

Non est autem iam difficile ijs rationibus occurrere, quas contrarium nonnullis persuasisse dicebamus. quod enim Galenus in aliquos inciderit, qui ob id, quod sanguisugam intra nares, vel fauces haberēt, sanguinē expuerēt, nihil prohibet, quo minus vena etiā varicosa fieri in eisdē partibus possit: non sunt enim pugnantia hęc, quę se mutuo impedire ita possint, ut si alterū ad sit alterū non adesse necessariū sit; alioqui ostēdimus, probabiliꝰ esse, a uaricosa vena, quā ab hirudine, sanguinē pluribus diebus effluere. Smili modo, quod Herodotus acceperit bdellā pro sanguisuga, nō vetat, quin Hippocrates accipere pro huiusmodi vena potuerit. sit quantūuis vtriusq; dialecti similes, tamē alter potuit tractādo historiā animalis in aquis versantis (nēpe Crocodili, cuius fauces aliquando hirudinibus impleri dicit, quas deinde Trochilus deuorat) bdellę vocabulū proprie pro animali vsurpare. alter autē cū de hominum ægritudinibus sermonem haberet, ob rei, de qua loquebatur similitudinem, translata appellatione uti potuit.

Reliquum est intelligere id, quod initio proponebatur, cur Galenus ulceris mentionem non fecerit. Celsus vero bdellæ non meminerit igitur de Galeno mirū non est: quoniam eo loco Hippocratis interpretem non agebat; deinde, quoniam de hirudine sermo erat obscurior, visus illi est dignus, qui exemplis illustraretur; mentionem vlceris, tamquam rei notæ, & perspicuæ prætermisit. de Celso autem, qui fere ad verbum Hippocratis orationem interpretatus est, dixerim, aut nescium, quod bdella venam vericosam significaret;

hiru-

hirudinis mentionem vt absurdam omisisse, aut nomine ulceris utramque rem comprehendisse, quod ex uena eiusmodi non aliter, atque ex ulcere, sanguis proflueret.

Quid sit Nyctalops apud Hippocratem. Cap. III.

APud Hippocratem eodem libro qui inscribitur προῤῥητικῶν β΄. *est alter locus obseruãdus, in quo de Nyctalope sermonem habet, quoniam plerique auctores, & hi quidẽ clariores, verbum* Νυκτάλωψ *contra quam Hippocrates accepit (nisi lectio vulgaris castigatione indigeat) interpretati sunt.*

Budæus in annotationibus in pandectas, lege decima de ædilitio edicto, fere omneis latinorum scriptorũ congessit locos, in quibus mentio reperitur nyctalopis, & myopis, quos latini visi sunt appellasse luscios os, luscitiosos, nuscitiosos; & credidisse nyctalopas ex eo appellatos, quod aliqua diei parte minus cernerent. Sic Plinius octaui libri capite quinquagesimo, inquit, Caprinum iecur restituit vespertinam aciem ijs, quos nyctalopas vocant. quasi nyctalopes sint, qui vespere non vident. cuius sententiæ Aristotelem etiam fuisse loca a Budæo adducta demonstrarent, si recte Aristoteli ascripta essent: nam quæ visus est referre ex Aristotele de myope & nyctalope, μυωπάζειν δὲ λέγονται, *&c. nõ sunt Aristotelis, sed leguntur in Oribasij ad Eustathium libri octaui capite quadragesimo sexto, a quo Paulus, & Aetius transcripsisse facile videri possunt, apud quos eadem leguntur. Sed in eam sententiam scripsit Celsus sexti libri capite sexto, præter hæc, inquiẽs,* im-

imbecillitas oculorum est, ex qua quidam interdiu satis, noctu nihil cernunt, hos enim nyctalopas esse putauit, quoniam locum Hippocratis eum imitatur, in quo de nyctalope loquitur, vt etiam posterius plenius dicam.

Galenus item secundi libri methodi capite primo, inquit, τῆς νυκτὸς ἀποφαίνει μὴ βλέποντας. *verbũ nyctalops (de hoc enim loquitur) demonstrat nocte non videntes. Alexander Trallianus secundo libro,* πρὸς δὲ τοὺς κάτ᾽ ἕξιν μὴ βλέποντας, οὓς νυκτάλοπας ὀνομάζουσιν. *ad eos vero, qui sero non vident, quos nyctalopas nominãt. Oribasius loco dicto,* νυκτάλοπας δὲ λέγουσιν ὅταν μὲν συμβῇ τὴν μὲν ἡμέραν βλέπειν, δυομένου δὲ ἡλίου ἀμαυρότερον ὁρᾷν, νυκτὸς δὲ γενομένης οὐδ᾽ ὅλως. *nyctalopas dicunt cum interdiu vident, occidente vero sole hebetius, nocte autem omnino non vident. quomodo postea locuti sunt [a] Paulus, [b] Aetius, [c] Actuarius, [d] Auicenna. atque arbitrati sunt quidam nomen ductum* παρὰ τὸ ἐν τῇ νυκτὶ ἀλᾶσθαι, ὅ ἐστι πλανᾶσθαι. *ab eo, quod est nocte errare. & alij,* νυκτάλωψ *dictum existimarunt, quasi* ἐν νυκτὶ ἄωψ. *in nocte non videns.*

Tamen e contrario si duntaxat cõsideres, nyctalops etymon quod habeat, verisimilius videbitur significare illum, qui nocte videat, tanquam dictum, παρὰ τὸ ἐν νυκτὶ ὠπάζεσθαι, *vt* νυκτάλωψ, *æque sit, ac si latine diceretur nocturnus oculus, & nocturnus visus. nam reliqua, quorũ origo est a voce* Νὺξ *seu nomina, seu verba sint, negantia non sunt, sed aientia. quorum exempla in promptu sunt ex indicibus, quibus Græca vocabula explanãtur.* Νυκτερόβια. *quæ nocte viuũt,* Νυκτοπορία *nocturna ambulatio,* Νυκτογραφεῖν *nocte scribere,* Νυκτοπορεύειν, *nocte ire, cuiusmodi multa inueniũtur. ac,*

a 3.lib.c.22.
b 2.li.serm. 3.c.46.
c 2. lib.c.7.
d 2.lib.fen. 3.tract.4. cap.5.

quod

quod huic similius est, Νυκτερὶς, *idest Vespertilio, &* Νυκτικόραξ, *id est bubo (vt aliqui uolunt) dicta sunt, quod interdiu latentia, noctu uitæ munera exercent. sic ergo &* Νυκτάλωψ *a nocturno visu dici potuit.*

Quod visus est credidisse auctor libri, qui inscribitur definitiones medicæ, quem Galeni genuinum non esse existimāt. Νυκτάλωψ ἐστι πάθος καὶ διάθεσις ὀφθαλμῶν, δίχα φανερᾶς αἰτίας. συμβαίνει δὲ τοῖς οὕτω διακειμένοις ἡμέρας μὲν μὴ ὁρᾶν, νυκτὸς δὲ βλέπειν. *Nyctalops est affectus, dispositioque oculorum sine conspicua causa. vsu autem sic habentibus euenit, ut interdiu non cernant, noctu vero conspiciant. & libro, qui inscriptus est introductio, siue medicus, qui quoque inter ascititios numeratur,* Νυκτάλωπας δὲ λέγουσιν ὅταν ἡμέρας μὲν βλέπωσιν ἀμαυρότερον, δυομένου δὲ ἡλίου λαμπρότερον. νυκτός δὲ ἔτι μᾶλλον. *Nyctalopæs dicunt quando interdiu quidem hebetius vident, Occidēte autem Sole splendidus, nocte vero adhuc magis. verum est, quod ibidem subiungitur* ἢ ὑπεναντίως, ἡμέρας μὲν ὀλίγα, ἑσπέρας δὲ, ἢ νυκτὸς οὐδ' ὅλως. *siue econtra, interdiu quidem parum, vespere autem uel nocte nequaquam, Sed hoc additum existimari potest, ut intelligeretur, non ignoratū ab eo rē controuersam esse: quoniam apud Hippocratem legitur contra, quam dictum sit ab auctoribus, quos initio adduximus. sunt autem uerba Hippocratis,* οἱ δὲ τῆς νυκτὸς ὁρῶντες, οὓς δὴ νυκτάλωπας καλέομεν. *qui uero nocte uident, quos sane nyctalopas uocamus. eße autē qui nocte uideāt, & admoto lumine cæcutiant instar nominatarum uolucrium, & rerum magister usus, & Herophilus, ut Aetius* [a] *retulit, & ipse Aetius, ac Auicenna* [b] *docuerunt. ac uerisimile est, Celsum ex Hippocrate illa scripsisse*

a Loco annodicto.
b dicti trac. cap. 9.

psisse, quæ ante diximus cum illa subiunxerit, quod in fœmina bene respondentibus menstruis non cadit, quod est Hippocratis eodem loco, αἱ δέ γυναίκες οὐκ ἁλίσκονται ὑπὸ τοῦ νοσήματος τούτου, οὐδὲ παρθένοι, ᾗσι τὰ ἐπιμήνια φαίνονται; *mulieres hoc morbo non corripiuntur, nec virgines, quibus menses compareant. quapropter cum dixit Celsus, ex qua quidam interdiu satis, nocte nihil cernunt. nisi ipse aut sciens, & volens, ab Hippocratis sententia discessit, aut aliter legit ea Hippocratis verba, quæ nuper retulimus, quam in editis exemplaribus scriptum sit.*

Verum quidem est, nomina arbitrio hominum imposita, neque de ipsis nos valde solicitos esse oportere, si res ipsę manifestę sint. Sed nominum obscuritas sæpe rebus tenebras offundit, propterea exercitatio in nominibus non semper inutilis censenda est.

Si quis igitur dicta perpendat, ac mutuo comparet, videbit eam sententiam, quod Nyctalops sit, qui nocte non videat; habere certiores auctores, eamque omnino recipiendam iudicaret, nisi hic Hippocratis locus obstaret. at certe mirum esset, probatiores, ac celebriores post Hippocratem medicos in hunc errorem tam apertum incurrisse. atque ideo iusta dubitatio videri debet, num in editis codicibus error existat, cum in antiquo exemplari Vaticani scriptum sit. οἱ δὲ τῆς νυκτὸς οὐκ ὁρῶντες, οὓς δὴ νυκτάλωπας καλέομεν. *qui vero nocte non vident, quos sane nyctalopas vocamus. quam lectionem Celsum secutum probabile est, ac cæteros, quos ante nominaui. alioquin etymon vocabuli parum efficax ad concludendum solet esse. & auctores. qui contrarium sentiunt, incerti sunt. Cumque morbi genus reperiatur, quo nocte aliqui melius, quam die cernunt,*

H non

non eſt mirum, ei nomen inditum non fuiſſe, cum manifeſtum ſit, nomina pauciora, quam res eſſe. eodem libro, qui introductio inſcriptus eſt, & Galeno tribuitur, legitur quidem ἡμεράλωψ, veluti contrarium ei, quod eſt νυκτάλωψ, non eſt tamen explicatum quid eſſet. & dubia ipſius νυκτάλωψ interpretatio eodē legitur, vt expoſuimus. iure itaque verbis Hippocratis vulgatæ editionis negationem addendam eſſe crediderim.

Ariſtotelis locus quinto libro de hiſtoria animalium in mellis tractatione conſideratur, vt quæ ſit vera lectio, intelligatur.

Cap. IIII.

IN editis exemplaribus Ariſtotelis quinto libro de hiſtoria animalium hæc leguntur. μέλι δὲ τὸ πίπτον ἐκ τοῦ ἀέρος, καὶ μάλιστα τῶν ἄστρων ἐπιτολαῖς, καὶ ὅταν κατασκήψῃ ἡ ἶρις. ὅλως δ᾽ οὐ γίνεται πρὸ πλειάδος ἐπιτολῆς. *Sed vetus Vaticani exemplar calamo notatum non* ἶρις, *ſed* Σίριος *habet. vtra ergo lectio melior cenſenda eſt?*

Ego, vt ab alijs etiam factum notaueram, perpendebam Plinij verba vndecimi libri capite decimo quarto, vt ſi Ariſtotelem ille ſecutus eſſet, quid de hac dubitatione ſtatuendum foret, ex eo concluderemus. verba eius hæc ſunt. Ab exortu ſideris cuiuſcumque, ſed nobilium maxime, aut cæleſtis arcus, ſi non ſequantur imbres, ſed ros tepeſcat ſolis radijs, medicamenta non mella gignuntur oculis, vlceribus, internisque viſceribus dona cæleſtia. quod ſi ſeruetur hoc ſirio exoriente, caſuque congruat in eundem diem (vt ſæpe) Veneris, aut Iouis, Mercurijque exortus, non alia ſuauitas,

visque

vis que mortalium malis a morte vendicandis, quam diuini nectaris fiat. Hæc autem oratio tota non aliud docet, quam quo tempore mel præstantius gigni consueuerit. tamen Aristoteles non de præstantia mellis, sed solum de tempore, quo mel nascitur, verba facere videtur. de mellis præstantia paulo ante locutus fuerat. ἄμεινον δ' ἐστὶ τὸ μετοπώρινον μέλι. *mel autumnale præstantius. hic vero de solo tempore; cũ illud concludat, omnino non fieri mel ante exortum Vergiliarum. quod præstantiam non significat. & quæ de sua uitate, ac vi in medendis malis, & de concursu siderũ a Plinio dicuntur, ex Aristotelis verbis colligi nequaquam possunt. quamobrem probabile est, quod Plinius alium, quam Aristotelem, secutus auctorem fuerit. alioqui cum Plinius non Sirij tantum, sed etiam arcus cœlestis mentionem fecerit: videretur potius concludendum, quod vtraque lectio esset retinenda. immo si diligentius consideres, Iris potius legendum videtur: nam Sirij ita mentionem facit, vt cum eo coniungat arcum cœlestem: arcus autem cœlestis mentionem per se facit: dixerat enim ab exortu illius, si non sequãtur imbres, fieri medicamenta nõ mella &c. Sirij mentione penitus omissa. postea vero inquit, quod si seruetur hoc Sirio exoriente &c. quorum hæc sententia est, si Sirio exoriente arcus cœlestis appareat, nec sequatur imber, vt dixerat, eodemque die Venus, aut Iuppiter, aut Mercurius oriatur, nõ alia suauitas &c. in quibus cum cœlestis arcus mentio fit adiuncta cum Sirij mentione, indicium habemus, præcipuam auctori fuisse arcus cœlestis mentionem. quamobrem si illa desumpta ab Aristotele esse constaret, etiam apud Aristotelem ipsum Iris legendum esset. sed non*

esse desumpta videor mihi satis probabiliter coniecisse. ac aperte paulo antea exposuisse.

An potior lectio existimanda est Σίριος, *quoniam in siccitatibus mel magis prouenit, quam in imbribus,* αὐχμοῦ μὲν ὄντος μέλι ἐργάζονται μᾶλλον, ἐπ' ὀμβρίας δὲ γόνον, *vt Aristoteles scribit eodem loco, ac repetit tertio libro de generatione animalium. & Plinius eiusdem libri capite decimoseptimo inquiens. Humido vere melior fœtus, sicco mel copiosius, (quamquam quod dixit, vere, forte minus ex Aristotelis sententia locutus est, ut intelliget, qui recte locis; quos diximus, verba eius examinauerit: quoniam sermo est, non priuatim de vere, sed communiter, ac promiscue de quocũque tempore. & tertio de generatione animalium manifestus sermo est de toto anno, quandoquidem inquit,* ἐν εὐετηρίαις, *quod significat totius anni salubritatẽ ac prosperitatem) igitur ad procreandos fœtus humidam tempestatem esse magis idoneam, negari non debet, namque de hominibus etiam Hippocrates primo libro de diæta inquit,* λαγνεύειν δὲ ὕδατος ἐφόδων γιγνομένων πλείονα. *in aquarum incursu Veneri operam magis dandam esse. est enim verisimile genituram in pluuijs, quam in siccitatibus magis abundare. ad mellis autem prouentum siccitate opus esse, ratio euidens est, quod mel ros quidam est, vt ait Galenus tertio libro de alimentorum facultatibus; quæ sententia non abest ab ijs, quæ vetustiores dixere, quoniam mel venire ex aere Aristoteles auctor est hoc loco, & Theophrastus tertio libro de plantis; ros autem, ut etiam pruina in serenitate, & trãquillitate nascitur, ut ait Aristoteles primo libro meteoron. Iris autem etiãsi neque pluuios neque serenos dies cum fide portendit, ut ait Plinius,[a] & accidat*

a 2.lib.c.59.

accidat vt arcum cœlestem imbres non sequantur, vt idem [a] *est auctor, non tamen in siccitatibus, & serenitatibus, sed humido cœlo ac perturbato fieri solet. quapropter roscida, imbrifera & nimborum creatrix Iris a ueteribus dicta est, atque ideo Sirij mentio, quam Iridis, probabilior videtur.*

a 11. li. cap. 14.

Præterea locus est Plinij, qui legendum esse Sirius penitus persuadet. namque vndecimi libri capite quartodecimo visus est interpretari verba illa Aristotelis, quæ principio retulimus, venit hoc, inquit, ex aere, & maxime siderum exortu, præcipueq. ipso Sirio explendescente fit. nec omnino prius Vergiliarum exortu. etsi cum dixit præcipue, non ex Aristotelis sententia puto dixisse. Aristoteles enim non dixit μάλιστα, *de Sirio, sed de astrorum exortu. neque experimentis respondet, quod maxime Sirio explendescente mel ex aere decidat, maxime enim id autumno cõtingit, cum scilicet mellis vindemia fit. quod & ratio suadet, quia in ardoribus vapor, ex quo ros fit, exuritur. itaque fieri traditur ab Aristotele* [b] ἐν τῇ εὐδίᾳ, *quod est cœli clementia, vt alibi explicabamus, & ipse Plinius* [c] *inquit, rores neque gelu, neque ardoribus existunt. neque crediderim Aristotelem dixisse astrorum exortum, vt canẽ tantum intelligeremus: nam etsi Theophrastus aliquãdo astri nomine canem* κατ᾽ ἐξοχὴν *appellauit, tamen cum numero multitudinis astra dicuntur, canis non intelligitur. Aristoteles* [d] *in problem.* καὶ ἐπιτολαὶ τῶν ἄστρων, ὥσπερ ὠρίων, καὶ ἀρκτοῦρος, καὶ πλειάς, καὶ κύων. *exortus, inquit, astrorum velut Orion, & Arcturus, & Pleias, & Canis. & Hippocrates libro de aere, aquis, & locis* δεῖ δὲ καὶ τῶν ἄστρων ἐπιτολὰς φυλάσσεσθαι, καὶ μάλιστα, τοῦ κυνὸς, ἔπειτα ἀρκτούρου, καὶ ἐπὶ

b 1. lib. meteor.

c 2. lib. c. 60

d In primæ sect. proble. 3.

πλινθίδων δύσει. *oportet autem astrorum exortus obseruare, & in primis canis, deinde arcturi, & occasum Pleiadum. quibus ostenditur, astra multitudinis numero siderum multitudinem significare. Sed crediderim Aristotelem post communem astrorum appellationem, qua Pleias, Canis, Arcturus, & alia comprehenduntur, Sirium priuatim nominasse, ne quis existimaret, eo tempore mel minime fieri, ea adductus ratione, quoniam ardor eximius vaporẽ omnem, ex quo ros fieri solet, exureret; sed sciret tunc quoq. nasci; quia eodem loco æstiuum, & autumnale mel esse dixerat, licet nono de historia. Vernum, ac Autumnale memorauerit, omissa æstiui mentione. Theophrastus autem primo libro de causis plantarum copiose docuit, etiam sub cane humorem effatu dignum reperiri. si itaque, vt videtur, Aristotelem Plinius secutus est, melius legi Sirius, quam Iris, hic locus ostendit.*

Quid Ἐρήγματα significent apud Theophrastum. Cap. V.

Locus est in quarto libro de causis plantarum, vbi Theophrastus de frugum coctilitate, & incoctilitate loquitur, cui subsidio esse possit diligentia. τὰ γοῦν ἐρήγματα διπλωθέντα θᾶττον διαχεῖσθαι. *Theodorus hanc clausulam silentio inuoluit, ignarus, vt videtur, quid essent,* ἐρήγματα: *quod alij quoque se nescire candidissime dixerunt, suspicati mendum esse, itaque admonuerunt quærendum, an sit legendum* ῥήγεα, *quasi Theophrastus significauerit pannos madidos, distentiores, exsiccatos vero molliores esse. at exẽplum nimis longe petitum videri potest, & in uocibus*

non est parua dissimilitudo. mihi sic videbatur. facilis lapsus in vna litera eiusdem etiam ordinis, ab η, *ad* ι, *vel* ει, *sunt enim omnes vocales, & omnium fere idem sonus. maior dissimilitudo inter,* α, *&* ο, *tamen in nostro exemplari in eodem loco* ἀσπρίων, *legitur pro* ὀσπρίων, *itaque legendum censeo* ἐρίγματα, *nam, vt est apud Suidam, & Aristophanis interpretem Ranis ad illud* ἢ ψεκατερεικτῶν χύτρας *de leguminibus, ac de fabis maxime dicitur,* ἐρεικτὸν, *quod est fractum, aut fresum,* κεκομμένον. *legiturq. in Aristotele*[a] ἐρεριγμένοι *(nisi rectius* ἐριγμένοι) κύαμοι. *faba fresa. libro autem secundo de morbis legitur apud Hippocratem* κριθέων ἐρίγματι. *quod fractum hordeum significat, & in coacis prænotionibus legitur* φακῶν, *&* ἐρεβίνθων ἐρίγμασι. *quo significatur cicer, ac lens fracta, seu fresa. Erotianusque notauit hanc inter Hippocratis voces, quamuis eam ab Erotiani illustratoribus dissimulatā videam; hæc autem huic loco maxime conuenit: cum enim dixerit arefactionē fabarū a Sole concoctiliores eas efficere, quasi noto id exemplo probaturus, proptea, inquit,* τὰ ἐρίγματα, *id est, fracta, fresaq. legumina insolata citius coquuntur. quod si quis malit scribere* ἐρείγματα *cum diphtongo,* ει, *me nō habebit repugnātem: quoniam Erotianus etiam habet* ἐρέγματα, *nec mutatur sentētia. & reperitur in eodem sensu* ἐρεγμὸς, *&* ἄλευρον ἐρέγμινον.

[a] 7. lib. de Hist. animal.

Vocem ἀπηθαλωμένοις apud Theophrastum, quarto libro de causis plantarum de fabarum coctilitate loquentem, apte positam. Cap. VI.

THeophrastus *quarto libro de causis plantarum verba faciens de frugum coctilitate, & incoctilitate,*

tate, vbi de fabis priuatim ſcribit, inquit, ἐὰν δ' ἐν τοῖς ἀχύροις ἀπηθαλωμένοις ἐν τῇ ἅλῳ, καὶ καθαροῖς οὖσιν, οὐ μεταβάλλουσιν ἀλλὰ τεράμονες. quæ periodus verbo indiget, quod eſt tale ſubintelligendum, quale eſt paulo poſt λειφθῶσιν, vt ſit ſenſus, ſi fabæ relictæ fuerint in arca ſuis in valuulis torrefactis non mutantur, ſed coctiles permanent: vbi non caret myſterio vox ἀπηθαλωμένοις, quoniam ſunt fabæ ab incoctilitate ſic vindicandæ, vt in aliud vitium non incurrant. ne ſcilicet humore putreſcant: præter id, quod ipſe ſiliquarum humor poſſit fabas incoctiles reddere: cum in eodem loco inter cauſas incoctilitatis τῆς ἀτεραμότητος humor intempeſtiuus numeretur, eo etenim imbutæ dureſcunt, τὸ δὲ σκληρὸν ἀδιάχυτον, καὶ ἀτέραμον, inquit Theophraſtus. ſiccitas autem econtra, licet exſuctiora faciat, & minus ſuauia facit tamen coctiliora. magnopere igitur exſiccationi ſtudendum eſt, quod apte monet vox illa ἀπηθαλωμένοις. Plutarchus in ſeptimi ſympoſ. problemate ſecũdo multa ex Theophraſto referens, inquit, τοῖς ἀποκειμένοις βοηθεῖ τὸ ἄχυρον: an igitur etiam in Theophraſto pro ἀπηθαλωμένοις legemus ἀποκειμένοις? equidam nihil mutarem. voces enim ſunt ſatis diſsimiles, & ſatis perſpicua eſt oratio si retineatur ἀπηθαλωμένοις, vt dictum eſt; ac aliter demum accipitur ἀποκειμένοις à Plutarcho, quam Theophraſtus ἀπηθαλωμένοις acceperit: nam Plutarchus dicit, ſeminibus ſepoſitis auxilio eſſe aut paleas, aut ſiliquas, ſeu valuulas (vt vis, τὸ ἄχυρον interpretari) coniungitq. vocem ἀποκειμένοις vocabulo σπέρμασι: at ſecus Theophraſtus, adiungit has duas ἀχύροις ἀπηθαλωμένοις, vbi non recte legeretur ἀποκειμένοις, quis enim feret ſenſus, si fabæ

in

in area relictæ fuerint in siliquis sepositis? quid enim addit vox, sepositis, quod sine ea non intelligatur? immo perturbat orationem, quoniam fabæ in valuulis in area non satis apte dicuntur sepositæ. vocabulum ἀποκείμενον significat cũ motu ab aliquo loco. ab area igitur si transferantur in horrea, vox ἀποκείμενον conueniet, non si in area relinquantur. at ἀπηθαλωμένως addit aliquid orationi, & vtile præceptum indicat, debet enim siliquæ diligenter siccari, quemadmodum dictum est. quibus accedit, quod omnes interpretes ita sunt interpretati vocem ἀπηθαλωμένοις, vt nullus dubitaſse ul sus sit, quin loco huic apposite inseruiat.

De libris Democriti ad ea, quę A. Gellius de hac re scripsit. Cap. VII.

Plinius multa velut a Democrito scripta retulit tã fabulosa, tantumque a fide abhorrentia, vt Gellius existimauerit, & scripserit in Democriti nomen data ab hominibus male solertibus, nobilitatis, auctoritatisque eius perfugio vtentibus. de hac re locutus est decimi libri capite duodecimo. quod nos auide simul & attente ea spe legebamus, vt aliquid a Plinio ignoratum de libris Democriti intelligeremus. qua tamẽ frustrati sumus, quoniam vno, leuique argumento suam firmauit opinionem; illa esse incredibilia, & ob id non digna tanto viro, illi igitur falso ascripta. cui obiectioni ipse occurrerat Plinius in proœmio libri tricesimi, cum iam de eadem re esset antea quoque dubitatum. in tantum, inquit, fides istis, fasque omne deest adeo, vt ij, qui cætera in viro illo probant, hæc eius opera inficientur: sed frustra. hunc enim maxime affixiſse ani

mis

mis eam dulcedinem constat. nec ignorabat Plinius illa esse incredibilia, nam decimoseptimo capite libri vicesimi quarti inquit, Democriti certe chirocineta esse constat. at in his ille post Pythagoram magorum studiosissimus quanto portentosiora tradit? & octauo capite libri vicesimi octaui scribens de eo volumine, quod à Democrito peculariter chamaeleoni dicatũ fuerat, inquit, non sine magna voluptate nostra, cognitis, proditisque mendacijs Graecae vanitatis. & non multo post, scribens de cauda illius animalis ex eodem volumine, inquit, cauda flumina, & aquarum impetus sisti, serpentes soparari. eadem medicata cedro & myrrha, illigataque gemino ramo palmae percußam aquã discuti, vt quae intus sint omnia appareant. vtinamq; eo ramo cõtactus esset Democritus. quoniam ista loquacitates immodicas promisit inhiberi. palamque est virum alias sagacem, & vitae vtilissimum nimio iuuandi mortales studio prolapsum. cum haec igitur à Plinio animaduersa & prodita fuerint, Gellio opus erat clariori ac firmiori argumento ad persuadendum, à Democrito non esse illa literis mandata. sunt portenta, praestigia, vana, intoleranda auribus. esto. sunt indigna tanti viri nomine. & istud esto. tamẽ constãs fama est ab ipso prodita. quis credat erucas decidere, & emori, si mulier quae in menstruis est, solutis crinibus, & nudo pede aream ter circumeat? negabimus hoc etiam à Democrito dictum, quoniam falsum sit, aut incredibile tamen Columella [a] testatur hoc ab eo dictũ libro, qui inscribitur περὶ ἀντιπαθῶν.

[a] lib. 11. c. 3 in fine.

Nos animaduertimus in ipso Columella firmius fũdamẽtũ ad fulciendã Gellij opinionẽ. nam quinto capite libri septimi de re rustica scribit, Doli Mendesij cõmenta-

mentaria(hunc Suidas vocat Βῶλον. *interpres theriacorum Nicandri* Ρῶλον) *sub nomine Democ riti falso prodità. ex eoq. rē narrat nihilo credibiliorē ea, quam de erucarum interitu retulimus, vt iure credatur, vnū & eundē vtriusq; auctorem fuisse quanuis alteram* Democriti, *alterā* Doli, *sed putatam* Democriti *Columella dixerit. cum enim sermo esset de ouiū morbo, quē sacrū ignem, & pusulam vocari scribit, eius remediū ex eo auctore sic exponit. sed Aegyptiæ gentis auctor memorabilis Dolus Mendesius, cuius cōmēta, quæ appellantur Græcè* ὑπομνήματα, *sub nomine Democriti falso produntur, censet propter hanc sæpius, ac diligēter terga perspicere, vt si forte sit in aliqua tale vitiū deprehensum, scrobē defodiamus in limine stabuli, & viuā pecudem, quæ fuerit pusulosa, resupinā obruamus, patiamurq. super obrutam meiere totum gregē. quod eo facto morbus propulsetur. si hoc indignū Democrito videtur, atq; ob id fortasse, vt cætera huius farinæ, Doli Mendesij reputatū; nec alterū antedictum Democrito tribuendum videtur. multoque minus ea, quæ à Plinio prodita sunt. & fortaße quæ Democriti ferebantur inscripta* ἀντιπαθῶν, *fuere eiusdem Doli, quem Suidas scripsisse affirmat* περὶ συμπαθῶν, καὶ ἀντιπαθῶν. *quod & idē theariacorū Nicandri interptes affirmat.*

Verum neque hoc me magnopere mouet. quoniam etsi hoc fere magnis viris omnibus contingit, vt sui nominis splendore obscuriorum libros auctorum faciāt vendibiliores. non propterea suasum nobis est, omnia sub Democriti nomine in lucē edita, falso ei fuisse adscripta: & nulla dignū admiratione cēseo, Democritū Magicis addictū artibus congessisse, ac literis mādassē quæcunque aut inuenerat de natura, & miraculis re-

rum scripta, aut audiuerat, suscepta quoque ad ea perdiscenda peregrinatione. non quia vera esse omnia existimaret, sed quia experiri in animo haberet. cui etiam ad experiendum multa tempus non defuit, cum centesimum annum excessisse dicatur. quamobrem & commentarium illud inter multa reliquit, quod inscripsit χειροτόνηκτον, quod se vidisse testatur Vitruuius libri noni capite tertio, in quo etiam vtebatur, inquit, anulo, signans cæra ex milio, quæ esset expertus. quamquã crediderim sicut alia inscripsit ἀνλιπαθῶν, & γεωργικῶν, ita hoc inscripsisse χειροτονητῶν. id est electorum. quod volumen fortassi fuit ei simile de quo Suidas in voce κρατυντήρια inquit, ἔγραψε Δημόκριτος ὁ ἀβδηρίτης βιβλίον, ὅπερ ἐστιν ἐπικριτικὸν πάντων τῶν γραφέντων αὐτῷ βιβλίων. cuius Sextus quoque meminit in eo tractatu, qui est inscriptus, An sit aliquid, quo iudicetur veritas. hoc vero certißimo argumento est, plераque ab eo scripta esse, quorum non erat auctor, sed tãtum recitator. ac priscorum hominum morem fuisse, multa colligere, & notare, de quibus per ocium iudicarent, mihi satis persuadetur ea cogitanti, quę Hippocrates scripsit ijs libris, qui inscribuntur ἐπιδημιῶν, & ijs, qui ἀφορισμῶν. quoniam illis nihil præter quotidianas rerum contingentium obseruationes, nonnullasq. rationes nondum digestas, nondum constitutas, ac definitas notabat. alteris vero mature excogitatas, certas, ac determinatas sententias colligebat; quasi Democritum imitaturus: vt hic enim, post multas, & uarias animaduersiones, librum scripsit, quem diximus, electorum, χειροτονητῶν sic Hippocrates post commenta varia, demum ἀφορισμῶν hoc est, determinatorum, librum exarauit, quam distinctionem fortasse nec Gellius,

lius, nec Plinius animaduertit. ea tamen ſpernenda nõ eſt, cum in Ariſtotelis commentarijs ea fuerit a viris doctiſſimis probata diuiſio, in alijs exotericos, in alijs acroamaticos ſermones contineri.

Nec obſtat, Dolum ſcripſiſſe libros ἀντιπαθῶν, *vt ait Suidas, quoniam de rebus eiſdem, & eiſdem titulis, a diuerſis auctoribus condi volumina, frequentiſſimum eſt. Si quis denique non probet illud* χειροτονητῶν, *ſed potius cenſeat legendum* χειροκινήτα, *vt ſit idem liber, cuius antea ex Plinio mentio facta eſt: eſto: nam ex hoc libro ſimiliter intelligitur, Democritum prodigioſa & incredibilia multa ſcripſiſſe.*

Cur Galenus ſeptimo libro κατὰ τόπους de infibulandi ratione nihil dixerit. Cap. VIII.

INfibulare adoleſcentulos vocis cauſa quidam conſueuerunt, *vt auctor eſt Celſus ſeptimi libri capite viceſimoquinto. propterea quæſitum eſt, cur Galenus primo capite ſeptimi libri* κατὰ τόπους, *in quo narrat citharedos, præcones, comædos, & tragædos vocis cauſa frequentibus balneis, & laxantibus edulijs vſos fuiſſe, infibulandi artificium non memorauerit, tamquam ille locus eſſet, in quo præteriri non debebat. At ſi Galeni conſilium eo loco, & vſum infibulandi animaduerterimus diligenter, intelligemus aptius feciſſe illum, qui rem hanc non memorauerit, quam nos, qui ab eo ipſam requirimus. ſi de conſeruanda voce ſermonem habuiſſet, forſan fibulæ mentio fuiſſet opportuna. ſed de vocis iam læſæ curatione verba fecerat, cui fibula præſidio non erat. ita, inquit, faciunt Phonaſci, qui magno*

vocis

vocis exercitio vtuntur, cum contendendo vocem oblæserint. balneis enim vtuntur multis, & cibos lenes, & laxantes edunt. hæc eius verba perspicua sunt, & ad præsentis mali curandi rationem pertinent. nec dicat aliquis, lęsæ voci fibulam auxilio fuisse, iuxta illam vocis, & pudendorum communionem, cuius Hippocrates meminit; quasi ex foraminibus, per quæ fibula traijciebatur, succus aliquis expurgaretur, vt in his solet, qui aures interdum oculorum, interdum capitis causa perforant; quoniam Celsus docet fibulam non ante addi solitam, quã circa foramina cicatraculę factę & confirmatę iam essent, quando succus nullus exire potest: sicut ex auricularũ foraminibus cicatriculis factis nihil egreditur. pertinebat autem fibulę vsus ad cautionem, & custodiam vocis, quam primo Veneris vsu in adolescentulis e candida, vt ita dicam, declinare in fuscam manifestissimum est, eos ergo, vt Venere ea carerent, infibulabant. cũ igitur de vsu Veneris nihil Galenus dicat, longe minus de fibula dicere debuit, quę per se voci non auxiliabatur, sed quia Veneris exercitium prohibebat, à quo quis volens sine fibula nihilominus abstinere potuißet, & pariter vocẽ tueri. quinimmo, si Martiali credimus, parum certe erat, quod à fibula pręstabatur. inquit enim. Dic mihi simpliciter comędis, atque tragædis Fibula quid præstat? quod ioco tantum ab eo dictum, non autem, quod inanem eius vsum putauerit; crediderim facile, nisi Celsus dixisset, hoc sæpius inter superuacanea, quam inter necessaria fuisse, quamobrem iure optimo à Galeno prætermissum existimauerim.

Variæ de vnguentis quæstiones, & animaduersiones. Cap. IX.

QVæsitum est, vnguenta Hippocratis ætate medicinæ tantum, an etiam libidinis causa in vsu essent. persuasum nobis est, etiam ante illius tempora luxuriæ causa fuisse. ipse Hippocrates eo libro, qui medicus inscribitur, laudans medicum, qui placere studeat etiam vnguentis odoratis, quæ suspicione careãt; luxuriam plane notasse visus est. cum enim doceat medici animum oportere in omni vita probe compositum esse, admonet quoq; , vt in vnguentorum vsu modum adhibeat, quo, vt puto, effęminati ac mollis euitare suspicionem possit. confirmatur hæc sententia testimonio Aristotelis qui libro de sensu & sensili probando illud Stratidis in Euripidem ὅταν φάκη ἕψηται μὴ 'πιχεῖν μῦρον *(etsi scriptura parum variat apud Athenæum) indicauit vsum miscendi vnguenta cibis non fuisse inuectum, vt aliqui tradiderunt, multo post Hippocratis tempora, sed ipsa Hippocratis tẽpestate viguisse, eadem enim Euripides vixit, natu etiam Hippocrate maior. vnguenta autem cibis miscere, voluptatis & luxuriæ est. hoc de cibo solum dicimus: quoniam potus alia ratio est; nam Aristoteles eodẽ loco innuit, potionibus vnguẽta miscere posterius excogitatum.* οἱ δὲ νῦν μιγνύντες εἰς τὰ πόματα τὰς τοιαύτας δυνάμεις. *Aristophanes item fuit æqualis Hippocrati, in eius autem Comœdijs crebra est vnguentorum mentio ad luxuriam pertinens,* ἐν πλούτῳ *inquit,* οὔτε Μύροισι Μυρίσαι σαυτοῖς ὁπόταν νύμφην ἀγάγησθον. & ἀχαρνεῦσι στέφανοι, μῦρον, τράγηματα, πόρναι, πάρα.

cætera

cætera per otium quilibet reperiet ἐν νεφέλησιν, ἐν εἰρήνῃ, ἐν ἐκκλησιαζούσαις, ἐν λυσιστράτῃ. Circiter eadem tempora Empedocles vixit, a quo dictum est, Venerem placari vnguentis odoratis, cuius carmina Athenæus recitat initio libri duodecimi. sed & ante Hippocratis tempora probi viri turpitudinem aliquam in vnguentis notauerunt. Plutarchus in Laconicis scribit, Lycurgum (is tulit leges Lacedæmonijs ante Romam conditã, idest longo ante Hippocratem interuallo) expulisse vnguentum, tamquàm olei perniciem. & Seneca capite decimotertio libri quarti questionum naturalium, vnguentarios, inquit, Lacedæmonij vrbe expulerunt, quia oleum disperderẽt. quod Athenæus quoque libro quarto retulit, & adiecit, Solonem, multo Hippocrate vetustiorem, prohibuisse vnguentorum venditionem. quorum tum vetustatem, tum luxuriam illud etiam demonstrat, quod secundo libro a Diodoro scriptum est, ex antiquissimis Aegypti regibus Myrin a se effossi super Memphin lacus piscium vectigal vxori concessisse, ad vnguẽtorum vsum, & ad reliquum corporis cultum. Anacreon senior Hippocrate æque ferè vnguentis, ac vino delectabatur, vt ex eius amatoria poesi facillime intelligitur. Xenophanes etiam non parum ante Hippocratem vixit; tamen in descriptione conuiuij mentionem vnguenti & coronarum fecit, cuius carmẽ legitur vndecimo libro Athenæi. in sacris autem libris certissima huius rei testimonia notata sunt. cum in eis arguantur impij, quod vnguẽto regio se exornauerint; notenturq; lasciui, quod vnguento perfunderentur; & Asa rex defunctus, positus fuisse dicatur in lecto vnguentis meretricijs pleno. & Iudith vnxisse faciem suam vnguento ad decipiendum Olofernem. quæ ante

Hippo-

Hippocratem omnia contigerunt, & ad rem medicam non pertinent.

Tamen sunt notatu digna Plinij verba libri decimi tertij capite primo, dicentis, vnguenta Iliacis temporibus non fuiße. nam contrarium sensit Athenæus libro decimoquinto, quem Eustathius secutus est. vterque enim scribit Homerum (qui potissimus rerum Iliacarum auctor est) vnguenta cognouiße, at olei vocabulo significasse, vt Iliados Ψ ῥοδόεντι δὲ χρίεν ἐλαίῳ. Archilochum uero multo Hippocrate antiquiorem, quippe qui regnante Romulo floruit; primum vocabulo vnguenti μῦρον vsum fuisse, cum antea eodem nomine vnguentum & oleum appellaretur. cuius opinionis etiam Iulius Pollux fuisse videtur. certe unguentum affabre pingit Homerus Iliador Ξ, cum Iunonis ornatum describit inquiens ἀλείψατο δὲ λιπ' ἐλαίῳ, ἀμβροσίῳ, ἑδανῷ, τό ῥα οἱ τεθυωμένον ἦεν. quis etiam negauerit, vnguentum fuisse, quo Patrocli refer- a dixit vulnera Iliados Σ ὠτειλὰς ἀλείψατως πλῆσαν ἐννεώροιο? Didymus Odysseæ Β, in Vlyssis penu descriptione εὐῶδες ἔλαιον, Irinum, aut Sampsychinum, aut aliud simile pretiosum interpretatur. libro autem Σ, illud de Minerua Penelopem exornante, κάλλει ἀμβροσίῳ, vnguentum simpliciter exponit. Notāda & illa sunt eodem Plinij loco. Primum, quod equidem inuenniam, castris Darij regis expugnatis, in reliquo eius apparatu Alexander cœpit scrinium vnguentorum. nam hoc euentu ille antiquior fuit, de quo Herodotus. Cambysen Persarum regem inter alia munera misisse ad Aethiopes alabastrum vnguenti. fuit enim Cambyses diu ante Alexādrum. antiquiora quoque illa sunt, quæ ex Diodoro, & sacris libris adduxi-

mus, & quæ de Lycurgo, Solone, Archilocho, & alijs quiausdam paulo superius diximus. Neque obijcere aliquis debet, quod Solinus significauerit, capite quadragesimo septimo, Plinium, cum dixit, Primum quod inueniam &c. ad Romanam luxuriam referendum esse, quæ scilicet Alexandri ætate primum odores peregrinos receperit; nam de hac re Plinius eiusdem libri capite tertio, inquit, quando id primum ad Romanos penetrauerit, nō facile dixerim. certū est Antiocho rege, Asiaque deuictis, vrbis anno quingentesimo sexagesimoquinto, P. Licinium Crassum, Iulium Cæsarem Censores edixiße, ne quis vnguenta venderet exotica. quasi Romæ vetustius rei huius monumētum non extaret. Alexander autem dictę censuræ annum antecessit annis amplius centum quadraginta.

Quærebatur quoque, cur maior vnguentorum pars Aegyptij cognomen habuiße videatur penes auctores vetustate, & fama præstantes, e quibus Hippocrates fuit. respondereq. viri quidam valde docti, hoc inde profectum, quod Aegyptij omnium primi ob mirrhæ copiam mixtiones vnguentorum excogitarunt. Sed his acquiescere non poteramus. quoniam primum in quæstione falsum pro vero sumi videbatur. scilicet maiorem vnguentorum partem aegyptij cognomine donatam. nam & si Hippocrates in remedijs morborum muliebrium frequenter nominat oleum aegyptium, & vnguentum aegyptium, ac in vtroque genere alterum album, alterum non album: tamen præter hæc nominat amaracinum, anthinum, baccharium, cedrinum, irinum, narcissinum, rosaceum, susinum; longeq; plura leguntur in Dioscoride, Plinio, & Athenæo, quę omnia ægyptij cognomine caruerūt.

quod

quod si etiā mendesium adiūgeretur his, quæ cognomē habēt aegyptiū, nō quia ægyptiū diceretur, sed quia ab Aegypti quodā oppido nuncupabatur item Metopium sic vocatum, quia lignum, ex quo galbanum nascitur, quod ab eo unguento recipitur, in Aegypto Metopium appellabatur, ut est auctor Dioscorides; si etiam Susinum: quod in terra Aegyptia esse Hippocrates dixit libro de natura muliebri, quasi & hoc ab Aegyptio peculiare aliquid recepisset; ut omittam quod Galenus scripsit, aegyptium album uocari susinum; hæc tamen pauca sunt, si reliquis comparentur. cumque, ut est apud Plinium primo capite libri decimi tertij dederint unguētis cognomina alijs patriæ, alijs succi, alijs arbores, alijs causæ: qui singula percurret, illa inueniet pauciora, quibus patriæ quam alia, quibus data sunt aliunde cognomina. atque ideo fuisse paucissima, quibus Aegyptij cognomen esset.

Deinde illa uidebantur minus probāda, quod Aegyptij omniū primi miscere unguēta excogitauerint: quoniā Plinius eo loco, quem nuper diximus, inquit. Quis primus inuenerit non traditur. & paulo post, Persarū esse debet gentis unguentū, illi madēt eo & c. & quoniā cuiusq; inuēti solet esse necessitas aliqua, subiungit causam, propter quā uerisimile fit, Persas ad unguentorum inuentionem adductos fuisse. accersita, inquit, cōmendatione ingluuie natū uirus extinguūt. scilicet, edaces erāt Persæ, quos toto die comedere solitos Xenophon tradidit octauo libro de Cyri institutione. quāobrē teter odor, ac uirus ex illorū corporibus profundebatur, cuius extinguēdi causa unguēto madere excogitarūt, sicuti quoq; Parthorū proceres grano Assyriæ mali spiritus fœditati medebātur, cui Parthos p̄cipue ob-

noxios fuiſſe propter indiſcretos cibos, Plinius auctor eſt vndecimi libri capite quinquageſimo tertio. cui ſimile eſt illud poetæ, animas & olentia Medi Ora fouēt illo; de eadē enim arbore ſcribebat. adiuuat Plinij côiecturā Herodotus, quum narrat Babylonios (ac ſi peculiare illis eſſet) toto corpore delibutos vnguēto incedere ſolitos: ac, vt ante dixi, Cambyſem cum cæteris muneribus vnguentū miſiße ad Aethiopes, quaſi rem Aethiopibus peregrinam, Aſſyrijs autē familiarem. hæc autē perſuadent, vnguenta fuiſſe potius gentium, quæ orientis, quam quæ meridiei plagas incolunt. ait quidē Plinius tertio capite libri tertijdecimi, Aegyptum terrarum omnium vnguentis accommodatiſſimam; ſed nihil vetat unius nationis inuentum in altera præſtantius effectum. adhæc eſt notandum, quod ex alijs Plinij locis contrarium colligi poteſt: nam ſeptimo capite libri vigeſimiprimi inquit, in Aegypto minime odorati flores, quia nebuloſus, & roſcidus aer eſt a Nilo flumine, & vndecimo capite eiuſdem, vbi florum genera multa perſequitur, inquit, in Aegypto ſine odore hæc omnia, tantumque myrtis odor præcipuus. quomodo igitur Aegyptus accommodatiſſima vnguentis dici poteſt? Neque ob copiam myrrhæ hoc eſt tribuendū Aegypto, quoniam myrrha non Aegypti eſt, ſed Arabiæ, vt qui de ea ſcripſerunt, auctores omnes teſtantur. & illud Didymi apud Athenæum, ἣν εἰς αἴγυπτον καταγομένην κομίζεσθαι πρὸς τοὺς ἕλληνας, numquam interpretarer, in Aegypto natam, ſed, in Aegyptum delatam ad Græcos comportari. quoniam Myrrha ex Arabia primum in Aegyptum, deinde ex Aegypto in Græciam conuehebatur. Itaque nihil aliud dicendum videtur, niſi quod, quemadmodum alijs qui-

busdam cognomina vnguentis & oleis patriæ dedere, ita quædam, quia in Aegypto reperta, vel illic gratiora effecta sunt, Aegyptia fuisse nuncupata.

Quod attinet ad Hippocratem, is memorauit, vt ante dixi, vnguentum aegyptium, & unguentum ægyptium album: quæ vtrum distinguerentur, quia alterum album, alterum esset nigrum, affirmare & statuere difficile est. Iulius Pollux sexti libri capite decimonono videtur testari, fuisse etiam nigrum ægyptium. sed mirum est, quoniã Theophrastus libro de odoribus dixit, candorem in aegyptio commendatum fuisse, neque colorẽ eius alium memorat, ita vt, aegyptium nominans, album semper intelligere videatur. quamobrẽ verisimile est, aegyptij cognomẽ Theophrasti ætate in albo retentum, cum alterum, quod Hippocrates appellat aegyptiũ sine appositione albi, vel componi desiisset, vel in aliud cognomen transiuisset.

Vtrum vero album dictum fuerit, quia vere in eo color albus laudaretur, aut quia ἀχρωμάτιστον *vellent, tamquam idem esset album &* ἀχρωμάτιστον, *vt aliqui putant, tutius potest affirmari, ac definiri. dico ergo, album fuisse dictum vnguentum aegyptium, non quia* ἀχρωμάτιστον, *id est, sine alieno colore, sed quia sine alieno colore erat, & album. hoc Theophrastus docet, si verba eius recte accipiantur libro de odoribus* χρωματίζουσι δὲ ἀμαράκινον, ῥόδινον, μεγαλεῖον· ἀχρωμάτιστα δὲ τῶν μὲν πολυτελῶν, αἰγύπτιον, μήλινον, κύπρος. τὰ δ᾽ εὐτελῆ πάντα. ταῦτα δὲ ἀχρωμάτιστα, διότι τὸ μὲν αἰγύπτιον, καὶ τὴν κύπρον λευκὰ εἶναι βούλονται. τὸ δὲ μήλινον τὴν τῶν μήλων χρόαν. τοῖς δ᾽ εὐτελέσιν οὐ λυσιτελεῖ τὸ χρῶμα προστιθέναι. *quod est colorant quidẽ amaracinũ, rosaceum, megalium. colo-*

re autem carent ex pretiosis quidem aegyptium, melinum, cyprinum: vulgaria vero cuncta. illa autē idcirco sine colore sunt, quia aegyptium & cyprinum alba esse volunt, melinum vero malorum colore. vulgaribus autem colorem addere operæpretium non est. quæ verba ostendunt, vnguenta omnia colorem proprium habuisse, aliis vero alienum quoque inductum, vt rubrum, quem anchusa faciebant, vt eo loco Theophrastus dixit, & Plinius, ac Dioscorides retulerunt: aliis autem nequaquam, in quibus tamen commendabatur, vt proprium colorem quam maxime redderent sic aegyptio & cyprino candor, in melino malorum, ex quibus fiebat, color desiderabatur. vt igitur melinum dicebatur ἀχρωμάτιστον *nec erat album, sed colore cotoneorum, ita aegyptium & cyprinum* ἀχρωμάτιστα *erant & alba: nam eadem ratione in illo color cotoneorum, & in his candor commendatus significatur. nec idem est* ἀχρωμάτιστον *& albū, alioquin etiam melinum fuisset album, quod Theophrastus negat, cum illi colorem cotoneorū priuatim assignat. sed* ἀχρωμάτιστον *dicebatur tantum ad negationem factitii & alieni coloris, non ad proprii & naturalis significationem.*

Insuper animaduertendum videbatur, quod Galenus libro περὶ γλωσσῶν *ait metopiū vocari aegyptium album, & recipere florem spinæ aegyptiæ. sed quod in eo flos hic reciperetur, nec a Plinio nec à Dioscoride dictū est. cum vterque Galeno vetustior fuerit, vt aliū quempiam secutus Galenus dicendus sit. quod vero esset idem metopium & aegyptium, de quo Theophrastus, & Hippocrates (si sumamus de eodem aegyptio vtrumque locutum) non affirmauerim: nam Theophra-*

stus

stus ait ab aegyptio recipi cinnamomum, quod nec Plinius, nec Dioscorides in descriptione metopii commemorarunt. itaque vt apud hos metopium diuersum est ab aegyptio Theophrasti, forte & ab aegyptio Hippocratis distabat.

Notabamus ad hæc Galenum testari, quod aegyptium diceretur etiam mendesium, ac lilia reciperet; at Dioscoridem in mendesii tractatione liliorum mentionem non facere. nec mendesium Dioscoridis posse Theophrasti aegyptium eſse. nam Theophrastus significauit cinnamomum præcipue in aegyptio recipi, cũ e multis, ex quibus componebatur, cinnamomum & myrrham dumtaxat nominauerit. Dioscorides vero sine cinnamomo plerumque fieri ostendat, & aliquos tãtum exiguam illius portionem postremo loco inutiliter addidiſse.

Gellij locus de præpositione ἐπὶ, & Macrobij de nominibus virtutum naturalium defenditur. Cap. X

SVperiori capite illa ex Aristotele retulimus, ὅταν φακὴν ἕψητε μὴ ἐπιχεῖν μύρον. quæ trãsiuiſſe in prouerbium, cum alii docent, tum A. Gellius capite uigesimo octauo libri decimi tertii his uerbis, ne plane fiat Græcum illud de Varronis satyra prouerbium, τὸν ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον. Sed uisa est quibusdam illa præpositio ἐπὶ alieno loco posita, quæ genitiuo, non datiuo iungẽda est. atque ideo expungendam esse opinati sunt, tamquam ab oscitante aliquo adiectam.

Mihi uidebatur additum nihil: propterea quod Græcus auctor Athenæus quarto libro, eadem uerba eodem modo retulit ex Clearcho Peripetetico. ad hæc,

quia non satis boni Grammatici videbantur, qui hoc notauerant, quoniam frequentissime iuncta est datiuo hæc propositio, cui aptius, quam genitiuo, etiam hoc loco iungitur. est enim sententia, super lente vnguentum spargit. nisi illud cuipiam magis arrideat, cum scribendum fuerit ἐπιχεῖ, quod est infundit, librarium deceptum non ἐπιχεῖ sed ἐπὶ τῇ scripsisse, facili, ac prompto lapsu a χει ad τη propter soni similitudinem; quod tamen asserere non est necessarium.

Sic quidem existimo librarios errasse apud Macrobium Saturnaliũ libri septimi capite quarto, vbi quatuor naturales viuentium virtutes, alimẽti ministras, optime quidem describit, sed ex illis duas Græcis nominibus non recte appellat. cum eam, quæ cibum trahit, vocet καθεκτικὴν, & eã, quæ retinet, καταδεκτικὴν (quæ uoces satis similes sunt) contrario, quam conueniat, modo: nam, quę trahit & suscipit alimentum, quę alias ἑλκτικὴ dicitur, καταδεκτικὴ dicenda; est enim καταδέχομαι suscipio; quæ vero continet καθεκτικὴν appellanda fuit, quemadmodum ab omnibus Græce appellatur. hæc inquam, uocabulorum permutatio librariorum culpa facta est, quos similitudo fefellit. non enim vt rei ignarus, quam probe declarat, argui potest Macrobius. neque vt Græci sermonis nescius qui alibi ex Græcis auctoribus plurima atque recondita egregie explicauit. sed alia quoque ratione (quod ignorandum non est) hic error induci potuit. nam vetusta exemplaria non habent Græca nomina, sed eorum vice lacunas, quas librarij parũ diligentes expleturi, sedes proprias dictorum vocabulorum permutarunt.

Emendatio cuiusdam loci, libro Hippocratis de locis in homine, de aurium remedio quodam, examinatur. Cap. XI.

DE fluxione in aures libro de locis in homine Hippocrates (vt habetur in omnibus Græcis exemplaribus) inquit, τῷ ὑπὸ τῆς ὀδύνης ἐχομένῳ φάρμακον θερμὸν φύσει, χλιαρὸν ποιήσαντα, διέντα μετώπῳ ἐγχεῖν. *quæ sic interpretari recte possemus, ei, quem dolor occupat, pharmacum natura calidum, tepidum factum, dilutum fronti infundito. sed quia lectione hac ignoratum relinquitur, qua sit re medicamentum diluendum: nec satis intelligitur, quod genus remedij sit contra dolores aurium, fronti medicamentum infundere; mendique ob id orta suspicione, interpres transtulit, ac si legisset nõ* Μετώπῳ, *sed* Νετώπῳ, *quod erat olei, seu vnguenti genus. alius vero* Μετωπίῳ *(quod pariter genus aliud unguenti erat) restituendũ putavit. vtraque autem emendatione declaratur, qua re medicamentum dilui debet, nec prohibetur, quominus intelligamus medicamentum esse infundendum in aurem, ut apud alios auctores uidere est, qui omnes instillanda in aurem pharmaca scripserunt, omissa penitus frontis mentione.*

Si quis igitur omnino iudicet mutandum esse nomẽ Μετώπῳ *legendum statuerim* Νετώπῳ, *non autem* Μετωπίῳ *causa satis euidẽti: cum enim alibi apud Hippocratem Metopij uocabulum non legatur, dubitari semper poterit, an hoc inter Hippocratis uerba recipiendũ sit. Netopi autem mentio apud ipsum frequentissima*

est,

est, neque de Netopo dubitari potest, quin & ipsum odoratum quiddam esset, & vnguenti instar (quæ illi cum Metopio communia sunt) & aurium morbis accõmodatum, quod de Metopio ex Hippocratis sententia tuto affimari nequit, etiam si vnguentum Ægyptiũ cuius sæpe mentionem facit, Metopium nuncuparemus. Netopum igitur odoratum fuisse significauit libro de sterilibus, scribens modicum illius subdi oportere mulieri exceptum lana: nam si mane illius odor ad os mulieri ascenderit, vt illa ipsum oleat, signũ habet, quod concipiet. esse autem instar vnguenti, apertissime significauit in fine libri primi de morbis muliebrib' [in quiẽs, Brassicæ cauliculus Netopo illitus Νιτώπῳ χριόμενος *immittatur. demum fuisse inter præsidia, quæ auribus ægris adhibebantur, Hippocrates docet quinto & septimo libro de morbis vulgaribus dicendo, Parmenisci filio surditatem accidisse, eique contulisse, clysterem auricularium non adhibere, verum lana solum indita perpurgare, & oleum infundere, aut Netopum.*

Illustratur locus Theophrasti quinto libro de causis plantarum περὶ τοῦ σχίνου καὶ τῆς σκίλλης, & Ciceronis notatus de Lentisco. Cap. XII.

IN *hisce Theophrasti verbis quinti libri de causis plantarum,* ὅσα δ' ἐν σχίνῳ φυτεύουσιν ἢ σκίλλῃ, *procul dubio scribendum est* σχίνῳ *cum* ι, *simplici non cum diphthongo* οι, *ita enim alibi legitur eodem libro* ἐν σχίνῳ δὲ φυτευόμενα. *Quod vero* σχῖνος *hic significet scillã, eiusque mentioni Theophrastus illa adiunxerit,* ἢ σκίλ-

λῃ

λη, tamquam glossema ad explicandum, quid σχῖνος *in hoc loco significet; mihi persuaderi non potuit: quoniam ipsa Theophrasti verba, si paulo diligentius inspiciantur, quam interpretes hactenus fecerint, aliud ostendunt.* ὅσα δὲ ἐν σχίνῳ φυτεύουσιν, ἢ σκίλλῃ, πάντα τῆς εὐβλαστίας ἕνεκα, καὶ εὐτροφίας φυτεύουσιν· ἔχει γὰρ τινα ἄμφω θερμότητα, καὶ ὑγρότητα, καὶ γίνεται καθάπερ ἐμφυτεία. *vox igitur* ἄμφω *videtur mihi satis ostendere duas esse res* σχῖνον, *&* σκίλλην. *nam redditur ratio, cur sata in schino, & scilla pulchre germinent, ac probe nutriantur, namque ambo, scilicet schinus, & scilla, calorem quendam, ac humomorem continent. sunt enim hæc alimenti, ac germinationis principia quæ sententia satis perspicua est. quod si secus verba accipiantur, obscura & inepta videbitur.*

Cum autem schinos Theophrasto rem diuersam significet a scilla; σχῖνος *quid erit? pro lentisco accipiendum vix crediderim, propter dissimilitudinem scillæ & lentisci: nec satis intelligi in lentisco potest, vt conferat* πρὸς τὴν εὐβλαστίαν, καὶ εὐτροφίαν, *quod in scilla satis est manifestũ, quæ suspensa parietibus sibi succum ad regerminationem sufficit. & alioqui est eius in agricultura vsus plurimus. Theophrastus secundo libro de plantis scribit, contra vermes præsidio esse, si ficus scilla feratur, quod repetit quinto de causis plantarum; Pliniusq; decimiseptimi libri capite vndecimo. & columella libri quinti capite decimo, ac Palladius in Martio decimo titulo, dixerãt. secũdũ radices mali punicæ candem satã prohibere, mala ipsa in arbore rũpi. forte quia succi auida subtrahit materiam vitio, quod verisimile est ob succi copiam oriri. hoc.n. suadet mo-*

dus alter occurrendi eidem malo videlicet, cum iam matura mala sunt, nec dum rupta, ramulos, quibus de pendent, intorquere. sic enim alimenti transitus magna in parte prohibetur. nonnulli etiam vitem theriacam facturi sarmentum intra scillæ bulbum recondũt, vt scriptum est a Palladio in Februario titulo vigesimo octauo. Quoniam vero sunt auctores, σχῖνον pro scilla nonnumqnam acceptum esse, vt Aristophanis interpres Pluto ad illud ἐν τῇ θυείᾳ συμπαρα..νύων ὀπὸν καὶ σχῖνον; verisimile est hic à Theophrasto su..ntũ pro aliquo scillæ genere, quo scilicet modo insinuat. ..te ni verbis in explicatione vocabulorũ Hippocratis, vbi ait σχῖνον esse non solum fruticem, sed etiam speciem quandam scillę. nisi etiam cuiusque scillæ bulbum esse existimemus εἶδος τι σκίλλης εἰ μὴ ἄρα καὶ πάσης σκίλλης τὸν βολβὸν. quæ verba plures, quam vnam, scillæ species habitas fuisse denotant, estque auctor Discorides τὸ Παγκράτιον vocari scillã; vt verisimilius sit, Theophrastum potius monere voluisse, eãdem rationẽ esse si scratur in eo scillæ genere, quod σχῖνος vocabatur, quàm explicare, se pro schino scillam accipere, quod se quentibus, vt dixi, verbis minime congruit: namque idem Aristophanis interpres Theophrastum auctorẽ laudat, apud quem schiuns a scilla differat. itaque crediderim facile in his, quæ sunt apud Ciceronem libro primo de diuinatione & à Plinio referuntur libri decimi octaui capite vicesimo quinto, Iam vero semper viridis, semperque grauata Lẽtiscus, triplici solita est grandescere foetu, Ter fruges fundens tria tempora monstrat arandi; in his inquam, credere est, uocabulum Lentiscus non recte positum, sed cum hæc aliquo ex greco auctore sint, qui de scilla locutus est, & uocem

χῖνος vsurpauit, Latinus minime animaduertẽs variã eius dictionis significationem, Lentiscum pro scilla interpretatus est.

Libro de articulis apud Galenum, vtrum pro πολυοργία sit legendum πολιορκία. Cap. XII.

GAlenus primi libri de articulis textu trigesimo inquit ὅσοι διὰ λιμὸν, ἢ διὰ πολυοργίαν, ἢ πένθος ἢ λύπην, ἢ ἀνορεξίαν ἐνδεῶς προσφερόμενοι τροφὴν ἐλεπτύνησαν, id est, quicumqee propter famem aut iracũdiã, aut luctum, aut mœrorem: aut inappetentiam exiguũ sumendo alimentum extenuati sunt. quæ verba satis perspicua videntur. Tamen Vidius vocem πολυοργίαν, idest, iracundiam, quæ in vulgatis antiquioribus exẽplaribus legitur, interpretatus est obsidionem, tamquã legendum putauerit πολιορκίαν, mutatis, υ, in ι, & γ, in κ. Sed si sententiam spectemus, nusquam apparet huius mutations necessitas non enim dubitatur, quin aliquis ob iracundiam exiguo sumpto cibo possit emaciari. obsidionis autem mentio opportuna non videtur: etenim confundit, & perturbat orationem: nam famẽ luctũ, dolorem, inappetentiã incdia sequi potest, simili modo & iracundiã. incdiam vero sequitur macies. at obsidionem nõ sequitur inedia, nisi eã præcedat fames, aut animi aliqua perturbatio aut quid aliud, quod prohibeat hominem nutriri, seu cibum sumere. scilicet obsidio non est eiusdem causarum ordinis, cuius fames, luctus mœror inappetẽtia quippe hæ propinquiores, illa remotior est at non est verisimile, vnam hanc ex remotis causis cũ propinquarũ multis confundere Ga-

lenum voluisse. iracundia vero est eiusdem ordinis, cu ius sunt alia ab ipso memorata, ideo videtur eius men tio, quam obsidionis opportunior. si ad verborum, Græcique sermonis integritatem animũ attendamus, quidam Græcarum litterarum studiosus obiiciebat, hanc vocem in indice Græcorum vocabulorum non reperiri, at vir egregius græce eruditissimus hoc risit, admonuitque non pauciora, quam sint notata, in lexico desiderari. ac licet raro nomen hoc inueniretur, tamen apud alios quoque a se lectum testabatur, licet tunc locorum non recordaretur. Græcisque quorum magna est tum felicitas, tum licentia in effingendis, componendisque vocabulis, hanc esse verborum formam valde familiarem. sic est πολυφαγία, πολυποσία, πολυοψία, πολυτοκία, πολυγονία, πολυσαρκία, *& cætera, quæ vno spiritu supra triginta statim effudit. propterea omnis mendi suspicio in voce* πολυοργία *auferẽda videbatur. quod si vero græcum aliquis hoc vocabulum nõ esse prorsus contendat; non idcirco eius loco* πολιορκίαν *receperim, sed potius, vt M. Antonius Muretus admonuit,* πολυωρίαν, *quod Græcum est, & curam, atq; solicitudinem significat, a qua nasci emaciatio potest, perinde atque ex fame, luctu. mærore, id quod ab obsidione non potest, vt ante dictum est.*

De iecorum quorundam commendatione, Cap. XIIII.

INter animalium viscera manifestum est iecur a palato gratiam iniuisse maximã. sed nescio quo fato in singulis animaliũ generibus vni tributũ principatum reperimus (certis etiam auctoribus nomina-

tis

tis quibus lautitiarum studiosi gratias haberent) anseri inter alites, inter quadrupedes sui, & mullo inter aquatilia.

De ansere Plinius decimi libri capite vicesimo secundo, Nostri inquit, sapientiores, qui eos iecoris bonitate nouere. fartilibus in magnam amplitudinem crescit, exemptum quoque lacte mulso augetur. nec sine causa in quæstione est, quis primus tantum bonū inuenerit. Scipio Metellus vir consularis, an M. Sestius (nisi legendum sic Scius, vt est apud Varronem) eadē ætate eques Romanus. sic ait. ex hac autem quæstione intelligitur, quare Athenæus nono libro dixerit περισπούδασται δὲ ταῦτα κατὰ τὴν ῥώμην *digna res fuit, de qua lis esset inter duos ciues Romanos, vter modū inuenerit saginandi anseris iecur. legitur autē tertio libro Varronis de re rustica, vtrumque magnos aliquot anserum greges habuisse. Galenus tertio libro de alimentorum facultatibus, dixit, anserum alimenta lacte imbui, vt non modo eorum iecur sit iucundissimum, sed potenter etiā nutriat. Horatius secundo libro sermonum, Pinguibus & ficis pastum iecur anseris albi. Palladius primi libri titulo tricesimo, si, vt iecur his tenere scat, optabis, tunsas caricas & aqua maceratas in offas voluptabis exiguas, & dies viginti continuos ministrabis anseribus. ad hæc respiciens Martialis decimo tertio inquit. Aspice quam magno tumeat iecur ansere maius & Iuuenalis Satyra quinta. Anseris ante ipsum magni iecur, anseribus par.*

De sue Plinius octaui capite quinquagesimo primo adhibetur, inquit, & ars iecori fœminarum, sicut anserum inuentum M. Apicij fico carica saginatis, ac satie necatis repente mulsi potu dato. Galenus tertio

libro

libro de alimentorum facultatibus, inquit, omniũ quidem animalium, iecur crassi est succi, & ad coquendũ difficile, tardeque permeat omnium autem est præstantissimum non modo ad uoluptatem, sed ad alia etiam omnia. quod συκωτὸν *appellatur, quam appellationem inde habuit, quod animalis mactandi iecur multarum ficuum siccarum esu sic præparent. quod maxime faciunt in suibus, propterea quod huius animalis viscera aliorum animalium visceribus sunt multo suauiora. euadunt tamen & illa seipsis meliora, cum animal ipsum caricas affatim comederit Pollux sexto libro,* ἥπατα σεσυκασμένα *vocata refert, &* ἥπατα συῶν σεσυκοτραγηκότων.

De Mullo vero Plinius noni capite decimo septimo, M. Apicius ad omne luxus ingenium mirus in sociorum garo (nam eo quoque res cognomen inuenit) necari eos præcellens putauit, atq; e iecore eorum alecem excogitare prouocauit. & tricesimi primi capite octauo, alex peruenit ad ostreas, echinos, vrticas, cammaros, mullorum iocinora. Galenus eodem libro scribit mullorum hepar voluptatis gratia summopere a gulosis expetitum, & iocinoris causa magno emi solitos mullos grandes, licet eorum caro, quam minorum insuauior esset. Verum est, quod Plinius libri noni secundo supra quadragesimum capite laudauit etiam iecur Torpedinis ob teneritatem, sed quanta in gratia apud gulæ studiosos foret non explicauit. & quibusdam carminibus, quæ Aristophani tribuit Athenæus, (quę tamen in his, quæ Aristophanis extant, non reperimus) capri piscis hepar memoratur; sed & illud in cẽsum trium antedictorum referri posse nihil demõstrat.

Cur

Cur Græco vocabulo ἀρχίατρος Latini vsi fuerint:& ad quid significandum.
Cap. XV.

DE archiatri nomine duplex oriebatur quæstio. altera, cur Latini Græcum hoc vocabulum vsurpauerint, cum alioquin habeant latina nomina medicus,& medicina. altera, uter eo nomine intelligendus esset, medicus principis, an princeps medicorum.

De priori quæstione nostra erat sententia, nihil mirari nos oportere, quoniam Græcis plurimis Latium donatum constat; & multa maxime Latina videntur, quorum Græca est origo, sicuti medicus ac medicina: nam Græce Μεδέω & Μέδω Latine est curo, vnde sanitatis curatores κατ' ἐξοχὴν medici sunt vocati. Tamē aliqui putabant Græcum vocabulum receptum, quod plerique Græci, Romanus nemo artem medicam exercuerit, vt refert Plinius. huc enim Plinij testimoniū adducunt. sed, cum huius nos verba perpendentes, tū rem ipsam examinantes, alteram dictæ rationis partem vt probemus adduci non possumus. nam Sextium Nigrum, & Iulium Bassum, qui de medicina scripserunt, pro medicis, ac pro Romanis habemus; facileq. crediderim, de Basso Plinium locutum septimi libri capite quinquagesimo tertio dicentem, repente expirauisse C. Iulium medicū, dum inungit, specillum per oculum trahentem. quod si quis hunc neget Bassum fuisse, concedat oportet duos, quorum memoria extet, huius nominis Romanos medicos fuisse. De Cornelio Celso scio dubitari, fuerit lectione tantum, & scripto medicus, an etiam arte. ego etiā arte fuisse mi-

K bi per-

hi] persuadeo ipsius verbis tertij libri capite vicesimoquarto, vbi Asclepiadis, & aliorum diuersas sententias de regij morbi curatione persecutus, ego vbique, inquit, si satis virium est, validiora, si parum imbecillia auxilia præfero. et septimi libri capite septimo, vbi de ancyloblepharo scribens, suas cum aliorum obseruationibus comparat inquiens, ego sic restitutum esse neminem memini. Meges se quoque multa tentaße, neque vmquam profuisse memoriæ prodit. audebit igitur artis expers inter illustrium medicorum sentẽtias iudicium interponere, suas obseruationes cum illustriũ medicorum animaduersionibus conferre? si quis autem Græco patre natum eum dicat, quem Tryphonem appellet sexti libri capite quinto, & inter nobiliores chirurgos recenset in proœmio libri septimi, non repugnauerim: nec enim est quod obijciam, neque id nostræ sententiæ contrarium est. omitto quæ de Scribonio Largo, Aelio Gallo seu Caio, & alijs quibusdam dici possent; nam fortasse Romani fuere Cassij, Carpitani, Aruntij, Albutij, Rubrij, item Q. Stertinius, Vectius Valẽs, Ophilius, Granius, Cæcilius, & L. Durius quos ipse Plinius aliquando memorauit. neq. Plinio contradicimus, qui senatorium tantum ordinem, non autem Romanos omnes negauit medicinam exercuisse. verba cuius hæc sunt primo capite libri vicesiminoni. Solam hanc artium Græcarum nondum exercet Romana grauitas, paucissimi Qniritium attigere, & ipsi statim ad Græcos transfugæ. Quirites autem nonne Romani dicebantur? igitur Romanorum aliqui Plinio auctore medicinam attigerunt, nemo tamen ex ordine senatorio, hæc enim Romana grauitas erat. quosq; commemorabam antea, multi videri non debent, cum Plinius dicat

cat paucissimos, nam si conferantur Græcorum numero paucissimi sunt. dixit autem ad Græcos transfugas, quia Sextius Niger & Iulius Bassus, quamuis essent Romani, Græce tamen de medicina scripserunt, vt ab eodem sæpe dictum est. quod nonnulli quoque de Scribonio Largo affirmarunt. itaque dictæ rationis altera tantum pars a me probatur, Græcum nomen receptum, quod plurimi medentium in vrbe Græci fuerunt: ac si qui Latini erant, vt ij, quos diximus, Græcos tamen habuere magistros. & est probabile rem inter medicos tractari plerumque consueuisse, quandoquidem & Latini Græce scripserunt, & Celsi Latinum volumen Gręcis refertum vocabulis videmus. & alias constat Græcum in vrbe sermonem valde plerisq. familiarem fuisse.

Quis vero archiatri nomine significaretur (quæ erat altera quæstio) ex his intelligi potest, quæ nos hûc in modum digerebamus. aut principis medicũ ita fuisse vocatum quasi ἀρχίατρος esset ἀρχῶν ἰατρὸς. aut eũ, qui cæteros anteiret. quod trifariam euenire potuit, aut quia sapientia & fama excelleret, aut quia iurisdictionem aliquam haberet, aut quia principis, cui seruiret, fauore eueheretur, ac veluti aliorum princeps coleretur. tamquam origo nominis esset ἀρχὸς ἰατρῶν.

Quod igitur sic diceretur principis medicus, quasi nominis etymon esset ἰατρὸς ἀρχῶν, nulla mihi ratione persuaderi hactenus potuit. non enim ijs assẽtior, qui ante Imperatorem Neronem vocem hãc exstitisse eam ob causam negant, quod res, quæ hoc nomine designabatur, nõ exstaret, quod s. nõdum principis institutus medicus foret: quoniam rationi nõ est consentaneũ minus principes, quam priuatos viros, suæ valetu-

dinis curam habuisse. neque negandum est Erasistratum (non est enim ab re sententiam hanc aliquibus exẽplis confirmare) seu Cleombrotum (vterque enim legitur apud Plinium, alijque legunt Theombrotum) qui Antiochum seruauit, principis medicum fuisse; sicut etiam Calligenem, quem Philippus Persei pater habuit, cuius etiam prudentia regnum Perseo seruatum est; sicut Statium, ab Eumene Asiæ rege cum Attalo fratre Romam missum, principis fuisse medicum negare absurdum est. Philippum medicum, ex Deiotari accusatoribus, seruum regium, quod regis medicũ interpretor, Cicero appellat. Iuba rex Mauritaniæ medicum dicitur habuisse, de cuius etiam nomine herbã appellauit euphorbiam. item medicos habuerunt ante Neronem Augustus Musam, Tiberius Chariclem, Claudius Xenophontem. cuius in domo familiariter quoque versabatur Vectius Valens. quod si quis dicat hos norma quadam, ac certa lege constituta, non fuisse ad principum curationem institutos; cogitet ut libeti, dicatque: certe medici principum fuerunt. cumque nomine archiatri caruerint, persuasum mihi satis est, antẽ Neronem nomen hoc, de quo agitur, non ideo defuisse, quia res ab illo signata non extaret. Contra vero, cum videam cætera nomina à Græcis hunc in modum composita, non res principũ, sed sui generis principes denotare; sic enim ἀρχιερεὺς *dicitur non principis sacerdos, sed sacerdotum princeps, & ἀρχιληστὴς non latro principis sed princeps & præcipuus inter latrones: sic & reliqua; ita quoque archiatri nomẽ fictum & receptum crediderim ad significandum non principis medicum, sed medicorum, quauis de causa principem.*

Ab

Ab artis præstantia, rerumque gestarum fama D. Augustinus archiatrum vocauit Aesculapium. sed hunc in modum non facile reperiet aliquis auctorem alium, qui hoc vocabulo vsus fuerit. nam qui archiatri vocati inueniuntur, vt Andromachus, Magnus, et alij, etsi non ignobiles fuere, tamen cum summis eos medicis comparandos fuiße, a nemine traditum legitur; & alij, qui suorum temporum primi habiti sunt, archiatri nomine dignati non sunt, vt Archigenes, Quintus, Antigenes, de quibus Galenus honorificentißime locutus est. ipseque Galenus nusquã archiatros dictus (licet eo nomine iã recepto) reperitur, qui tamẽ ab Imperatore M. Aurelio Antonino, se primum medicorum iudicatum, affirmauit, ac literis tradidit.

Archiatrum vero iurisdictionem aliquam obtinuisse, cum primum hoc vocabulũ in vsum venit, mihi nõdum alicuius antiqui auctoris testimonio cõpertũ est.

Igitur reliquum est, hoc initio inductum nomẽ ad significandum illum quidem, cui mandata sanitatis principis cura esset, sed non vt a principe nomen haberet: quod illi eo inditum est, quod qui gratia apud principem commendaretur, is præ cæteris colendus, ac speciosо aliquo titulo decorandus videretur. Et verisimile est hanc appellationem Neronis ætate inuentam: quoniam ante Andromachum Neronis medicũ nescimus aliquem sic appellatum: cum ipsum Andromachum archiatrum ab Erotiano (quisquis ille sit) & a Galeno vocatum sciamus.

Visa est autem hæc appellatio vni tantum tributa, saltem vsque ad M. Aur. Antonini seculum, quando Galenus floruit: qui Magni, ac Demetrij, quos archiatros factos se viuente testatur, ita mẽtionẽ facit, ut

facile credas non simul plures, sed vnum fuiße archiatrum appellatum. postea vero, quoniam plurimi artē hanc exercebant, atque (vt verisimile est, quod ætate quoque nostra vsu venit) promiscue senes, iuuenes, docti, rudes, aduenæ, indigenæ, serui, ingenui, liberti; qui se cæteris præstare existimarunt, seorsim congregatos, & certis statutis iuribus, collegium quoddam instituisse crediderim: in quod qui cooptati eßent, archiatri appellati sint. è quorū numero ij quoque deligi soliti fuerint, qui principibus, et familiarib. eorūdē moderētur.

Plures fuisse archiatros Constantini, & posteriorum Imperatorum temporibus, ex quinquagesimo secundo titulo decimi, & ex quadragesimo primo duodecimi libri Codicis Iustiniani satis constat. distinctos autem archiatros a cæteris, qui communi nomine medici tantum vocabantur, probatur lege, cuius initiū est, Medicos, dicto titulo quinquagesimo secundo, scribente Constantino Augusto ad Volusianum. Medicos, & maxime archiatros, vel ex archiatris &c. fuisse vero tamquam collegium quoddam archiatrorū, docet eiusdem tituli lex ab Imperatoribus Valentiniano & Valente ad Olybrium scripta. si quis in archiatri defuncti locum est promotionis meritis aggregandus, non ante eorum particeps fiat, quam primis, qui in ordine reperientur septem, vel eo amplius iudicantibus idoneus approbetur: ita tamen, vt quicumque fuerit admissus, non in priorum numerum statim veniat, sed eum ordinem consequatur, qui cæteris ad priora subuectis vltimus poterit inueniri. ex hoc autem numero potius, quam ex alijs delectos, qui principis, & eius familiæ valetudinem curarent, per se credibile est. lex autem, archiatros, quadragesimo primo titulo libri duodecimi

decimi Codicis eiusdem, docet non solos, qui seruirent principibus archiatros vocatos, sed & alios in vrbe multos, cum in ea scriptum sit, archiatros nostri Palatij, necnon vrbis Romæ, &c. Cumque plures archiatrorum ordines essent, in singulis erant, qui cæteros anteirent, qui comites archiatrorum vocabantur, de quorũ eligendorum forma & auctoritate a Cassiodoro scriptum est sexto libro variarum. nec vnum fuisse comitem, sed tot, quot ordines archiatrorum erant, suadetur lege Honorij & Theodosij ad Monachium scripta, eodem titulo quinquagesimo secundo, cuius initiũ est, Grammaticos: namque in ea scriptum est, vt Vniuersi, qui in sacro Palatio inter archiatros militarunt, cũ comitiuam primi ordinis, vel secundi adepti fuerint, aut maioris gradum dignitatis ascenderint, &c. vocari autem comitiuam illam dignitatem, qua is honestabatur, qui cæteris archiatris præstabat, quamobrem comites archiatrorum dicebantur, ex eodem loco Cassiodori perspicue intelligitur.

Itaque mihi satis persuasum est, archiatrum primo fuisse vnũ, qui fauore principis cæteris præferebatur, ac quia præferebatur sic vocatum. deinde multos in vnum corpus congregatos, quod esset veluti archiatrorũ collegium, cooptatis in illud ijs, qui cæteris digniores existimarentur. vt quacumque de causa ἀρχίατρος dictus semper videri possit, qui præcipuum inter medicos locum teneret, non qui principi inseruiret.

Qui vero ante Neronem Principibus medebantur, communi nomine contentos fuisse nil mirum: quoniam & ipsi principes, vno vel principis, vel regis nomine contenti fuere. vbi vero pp Romani magnitudinẽ imperij modũ omnẽ excessit adulatio, vt ipsis principibus

bis, terrenos, altes scrobibus, in his locis, vbi nulla re stagnenta quę Ex his autē corrijcio illa ἀρετῇ ἀγαθοὺς *legenda esse* βρωτῇ ἀγαθοὺς, *vt significent illud, quod Plinius dixit, cibis gratissimos. quæ sententia aptissima est, ac lapsus facilis erat inter duo nomina* βρωτῇ *&* ἀρετῇ.

Alter locus in libro περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων castigatur. Cap. XVII.

EOdem libro, cuius proxime locū emendauimus, locus alter ex Plinio potissimum castigandus est, vbi legitur, ἐν κύπρῳ τῇ νήσῳ λέγεται τοὺς μέτας τὸν σίδηρον ἐσθίειν. *quod est, in Cypro insula fertur Metas ferrū comedere ī quib⁹ verbis neq; Cypro neq; Metas recte legitur. sed vbi Cypro est Gyaro, & vbi Metas supponendum est Myas: nam quid Metæ sint explicari non potest, neque alibi vsquam reperitur, quod in Cypro animalia essent ferrum comedentia. Plinius autē octaui libri capite quinquagesimo septimo inquit, Theophrastus auctor est, in Gyaro insula, cum incolas fugassent (loquitur de muribus) ferrum quoque rosisse eos. & Suidas de Gyaro insula verba faciens inquit,* λέγεται ὅτι ἐν ταύτῃ διατρώγουσιν οἱ μύες τὸν σίδηρον. *dicitur quod in hac insula mures comedūt ferrum. quapropter integra huius loci lectio esset,*

ἐν Γυάρῳ τῇ νήσῳ λέγεται τοὺς μύας τὸν σίδηρον ἐσθίειν.

Quid

Quid Συρμαία, & Συρμαισμὸς, apud Hippocratem. Cap. XVIII.

Hippocrates primo libro de morbis muliebribus Syrmeæ mentionem bis facit, quam interpres potionem moderate purgantem fuiſſe ſignificat, ſicut libro de articulis, quod Græce συρμαισμὸς ab Hippocrate dicitur, idem interpres moderatam purgationem tranſtulit. ſcilicet Galenum *ſecutus. qui in illius uoluminis explanatione συρμαισμὸν, & libro de linguis Hippocratis συρμαίαν ſignificare moderatam purgationem aſſeruit. quam interpretationem non eſſe paruifaciendam, efficit auctoritas viri tum antiqui, tum Græci, & inter medicos poſt Hippocratem maximam gloriam conſecuti.*

Sed quoniam vim verbi attentius conſideranti non apparet, vtpotuerit συρμαία & συρμαισμὸς cōmuniter moderatam purgationem ſignificare, non iniuria dubitatur, vtrum συρμαισμὸς generatim ſignificet purgationem moderatam, an priuatim aliquam ab aliquo peculiari medicamento, quod ab ea recipiatur, nuncupatā. quod ut intelligatur, neceſſarium videtur Grecos alios auctores, & eorundem Græcos interpretes conſulere. cumque præter duo dicta nomina reperiatur etiam verbum συρμαίζειν, de hoc primum verba facere inſtitui, vt, quod præcipue quæritur, clarius vltimo loco concludatur.

Vſo eſt verbo συρμαίζειν Herodotus ſecundo libro cum dixit Aegyptios ſe ſingulis menſibus purgare ſolitos. συρμαίζουσι τρεῖς, *inquit,* ἡμέρας ἐπεξῆς μηνὸς ἑκάστου, ἐμέτοισι θηρώμενοι τὴν ὑγιείην, καὶ κλύσμασι. *quæ in*

hunc modum verti possunt. purgantur tribus consequenter diebus singulis mensibus, vomitibus sanitatē quærentes, & clystere infusis, ex quibus verbis illud quidem accipi potuit, quod ait Galenus secundo libro de articulis, συρμαισμὸν promiscue vomitum, & deiectionem significare, non tamen vt idem sit συρμαίζειν quod καθαίρειν μετρίως, siue κενοῦσθαι, quod est moderate purgare, siue euacuari, alioqui hunc Herodoti locum Suidas secus accepit, qui inquiens συρμαίζειν καθαίρειν πόματι ἐκ ζειῶν καὶ ὕδατος, οὕτως ἡρόδοτος, quod est purgare potione ex zea & aqua, ita Herodotus; ostendit, quemadmodum ἐλλεβορίζειν est elleboro purgare, ita συρμαίζειν esse purgari potione illa, quā dixit. idemque exponens Aegyptios dictos esse μελανοσυρμαίους (quo epitheto Aristophanes vtitur in ea Comœdia, quæ θεσμοφοριάζουσαι inscribitur) quasi μέλανα καὶ συρμαίζοντα, ostendit συρμαίζειν non fuisse acceptum communiter pro purgare, sed pro certo genere purgationis, quod erat Aegyptijs familiare. alioquin obscurissime populus Aegyptius hoc epitheto significatus esset. itaq; Herodoti locum & Suidę interpretationem coniungendo, concludimus συρμαίζειν significasse purgare, seu purgari medicamento ex aqua & zea, vel alio, quod & Aegyptijs familiare, & cum ad ciendū vomitum, tum ad aluum subducendam, idoneum esset, id vero συρμαία appellabatur.

Legitur aūt συρμαία in Aristophanis Comœdia, quæ εἰρήνη inscripta est. in qua venditor galearum inducitur quęrēs, quid sibi faciēdū esset, postquā pace facta, esset galeas empturus nemo. Trygæus aūt, ludēdo, cū sic alloquitur. πώλει βαδίζων αὐτὰ τοῖς αἰγυπτίοις. ἔστι γὰρ ἐπιτήδεια συρμαίαν μετρεῖν. vendit, inquit, eas

Aegy-

Aegyptijs, sunt enim ad mensurandum syrmæam accommodatæ. interpres vero inquit, οἱ μὲν ἀξιοῦσι χυλὸν βοτάνης εἶναι τὴν συρμαίαν, ᾗ χρῶνται αἰγύπτιοι πρὸς διάρροιαν. ἄλλως. φαίνονται τοῦ χυλοῦ τῆς συρμαίας πίνειν οἱ αἰγύπτιοι πρὸς διάρροιαν *quidam putant herbæ cuiusdam succum syrmæam esse, qua vtuntur ægyptij ad alui fluorem. aliter. videntur ægyptij syrmeæ succum ad ventris fluxum potare. quarũ interpretationum prior magis quadrat: quoniam Aristophanes aperte satis significauit, se accepisse syrmæã pro liquore quodam, cum dicat syrmæam galeis mensurari potuisse. non, est enim dicendum, quod frugis genus aliquod fuerit, quod nullus testatur, posterior autem interpretatio ostendit, plantæ quoque genus hoc nomine significari. fortaße & planta, & eius succus idem nomen habuerunt, sicut acacia aloe, & pleræque aliæ plantæ, quas sui nominis succos habere compertum est.*

Hippocrates etiam syrmæam memorans primo libro de morbis muliebribus, vt ante dixi, liquorem fuisse demõstrat: nam medicamenta, quæ secũdas expellunt, recensens, inquit, κόνυζαν τὴν εὐώδεα τρίψας λείην ἐν οἴνῳ εὐώδει, ἢ ἐν συρμαίῃ δοῦναι πιεῖν, καὶ λούειν θερμῷ. *idest conyzam suaue olentem leuiter tritam in vino odorato, aut syrmæa bibendam dato, & calida lauato. cum igitur vini loco syrmæam bibendam dicat, non dubitandum, quin genus aliquod liquoris esset. nec verisimile est aliter ab eo acceptam paulo post* ἰὸν χαλκοῦ συντρίψας σὺν μέλιτι, καὶ συρμαίῃ δὸς πιεῖν. *æruginem tritam cum melle, & syrmæa bibendam dato. sunt autem hæc ea loca, quæ B. Eustachius in Erationi annotationibus se non reperisse fatebatur quæ-*

que

quæq; Hermolaus Barbarus intelligebat, cũ, in annotationibus in Dioscoridem de Raphano scribẽs, dicebat, apud Hippocratem accipi syrmæam pro succi quodam genere, siue passum siue defrutum sit. quamquam neutrum esse credam, vt postea dicam. priore autem loco interpres ex Galeno vertit, in syrmæa potione moderate purgante bibendam dato. quæ interpretatio, mea sẽtentia, ineptissima est: quoniam syrmæa ex Galeni sententia vim ducendi aluum habet, ventremque tum vomitu, tum deiectione expurgat. cum autem expelli secunda debet, non solet Hippocrates aut vomitum, aut alui deiectionem præcipere, vt ex aliis remediis ad secundas expellendas vtilibus, ab eo enumeratis constat. est igitur syrmæa Hippocrati vel succus vel liquor.

Herodoto etiam est aliquid succo simile secundo libro, vbi de condituris cadauerum apud ægyptios verba faciens inquit, συρμαίη διηθύσαντες τὴν κοιλίην. vbi ventrem symæa diluerint ex quibus omnibus colligitur syrmæam fuisse liquorem aliquem, siue succum item plantam, ex qua succus ille extrahebatur. Ea vero planta, quæ nam esset, aperte intelligitur collatis Herodoti ac Plinii locis. Herodotus eodem secundo libro scribit, vnam ex pyramidibus, Cheopis Aegyptis regis iussu extructis, habuisse scriptum literis ægiptii quantum fuerit erogatum in operarios pro syrmæa cæpis, & allio. σεσήμανται δὲ διὰ γραμμάτων αἰγυπτίων ἐν τῇ πυραμίδη ὅσα ἔς τε συρμαίην, καὶ κρόμμυας, καὶ σκόροδα ἀναισημώθη τοῖσι ἐργαζομένοισι. vbi interpres apium fortasse tr anstulit, quia legerat apud Suidam, quod syrmęa est olus apud Hippocratem apio simile, λάχανον. σελίνῳ ὅμοιος (quamquam aliјs hoc olus

apio

apio ſimile, non συρμαία, ſed συρνέη, & σύρμιον dicitur) aut quod fortaſſe exiſtimauit ſyrmæam eſſe raphanum ſylueſtrem, quem Theophraſtus, & Dioſcorides ἄπιον appellant, & nonnullos chamærephanum vocaſſe Paulus ſcribit ſeptimo libro; volebatq; idem interpres accipi Apium vt Græce ſignificat, quod Latinis eſt raphanus ſylueſter, non autē vt Latine ſignificat, quod Græcis eſt τὸ σέλινον. Erotianus autem inquit, συρμαία λέγεται ἡ ἐπιμηκὴς ῥαφανίς. longus raphanus. & Iulius Pollux καὶ παρὰ ἡροδότῳ εἶδος ῥαφανῖδος συρμαία. Eſt autem Plinij locus libri trigeſimiquinti caput duodecimū, in quo de pyramidibus ſcribēs locū Herodoti interpretatus videri poteſt: aliqui prodiderūt in raphanos, & alliū, & cæpas mille octingēta talēta erogata. ſic Plinius, ait quidem Herodotus mille ſexcēta, vt etiam Diodorus, ſed & facilis eſt in numeris deſcribendis lapſus, & hoc ad rem propoſitam minime pertinet. ſyrmęa igitur fuit raphani genus, et ex eo vel ſuccus, vel liquidum medicamētum, quod vim habuiſſe purgandi teſtatur Suidas inquiens. συρμαία τὸ καθαρτικὸν διὰ ἐμέτων καὶ κοιλίας. purgans medicamentum per vomitus ac ventrem. & Erotianus, συρμαία λέγεται ἡ ἐπιμηκὴς ῥαφανὶς, ἣν τίνες μετ᾽ ἅλμης ἐσθίοντες καθαίρονται. Syrmæa longus raphanus dicitur, quē aliqui cum ſale edentes purgantur. Dioſcorides vero ſatiuum raphanum aluo ac vomitibus citandis idoneū tradit. quod aūt Ariſtophanis interpres dixit, Aegyptios vſos fuiſſe ſyrmæa πρὸς διάῤῥοιαν, uel male rē intellexit, vel ſignificare alui ſubductionē uoluit abuſus uocabulo διάῤῥοια, ac præpoſitione πρὸς. nam proprie πρὸς διάῤῥοιαν eſt, contra alui fluxum, ipſe uero debuit dicere ad alui deiectionem, ſcilicet prouocandam. illud au-

tem

tem Galeni libro de linguis Hippocratis, συρμαία, ἡ μετρίως γινωμένη τῶν περὶ τὴν γαστέρα κάθαρσις. *ſyrmæa eſt moderata ventris purgatio; ita intelligendum eſt, vt purgationis vocabulum pro ipſo medicamento purgante accipiatur, niſi verbi vim huius eum non percæpiſſe fateri aliquis malit.*

Συρμαισμὸς *in epiſtola ad Antigonum, quæ Dioclis nomine circumfertur, dicitur quidem, ex nonnullorum ſententia, vomitus ieiuno ſtomacho factus. ſed apud Hippocratem aliter accipi debet. libro de articulis ſcribens de aure fracta Hippocrates inquit*, ἄμεινον δὲ καὶ μαλθάξαι τὴν κοιλίην: ἢν δὲ καὶ εὐήμετος ἔῃ, ἐμέειν ἀπὸ συρμαισμοῦ. *quod eſt, ſatius eſt ventrem mollire: ſin autem ad vomitum etiam facilis fuerit, vomat a ſyrmæſmo. quid eſſet igitur, vomat a vomitu? Galenus hunc locum explicans, inquit*, συρμαισμοὺς δὲ ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ τὰς μετρίας κενώσεις, εἴτε καὶ δι' ἐμέτων γίγνοιντο. τοιούτων τινὰ κελεύει καὶ νῦν ποιεῖσθαι. *Syrmæſmos antiqui vocabant moderatas euacuationes, ſiue per ſedem, ſiue per vomitum fierent. harum aliquam iubet et nunc fieri. hæc autem differt a Dioclis interpretatione. ſed & hic opus eſt accipere euacuationem pro euacuante medicamento, alioquin incõgrua orõ eſt, vomat a moderata euacuatione: aptius autem diceretur, vomat a medicamento, quod moderate euacuet. & eſt altera dubitatio, quod, etſi verbum* συρμαίζειν *videri poteſt promiſcue ſignificare vomitum & deiectionem, vt ante dixi, tamen Hippocrates hic ſeorſim vtrũque memorãs, ſyrmæſmũ, vt uomitui priuatim idoneum, retuliſſe uidetur. Erotianus aptius hoc uerbũ interpretatus eſt, nã cũ expoſuerit quid ſyrmæa ſignificet (uerba eius ſuperius attulimus) ſtatim ſubdit*

καὶ καλεῖται συρμαισμὸς ὁ τοιοῦτος τῆς καθάρσεως τρόπος. & vocatur ſyrmæſmus huiuſmodi purgationis modus. ſ. ſyrmæa medicamentum eſt, & purgatio ex ſumpta ſyrmæa ſyrmæſmus dicitur. vt non generatim euacuationem moderatam ſignificet. ſed priuatim eā, quæ more Aegyptio fieri ſolebat ex raphano, quemadmodū ſi dixiſſet ἀπ' ἐλλεβορισμοῦ, vt quæ cognatio eſt in illis ἐλλέβορος, ἐλλεβορίζειν, ἐλλεβορισμὸς, eadem ſit in his συρμαία, συρμαίζειν, συρμαισμὸς, quod vero ſyrmæa etiam ſignificaret potum cum hordeaceum, tum ex aqua & ſale; & cibum quendam ex ſæuo & melle, ac certamen quoddam apud Lacedæmonios (quæ narrantur a Suida & Heſychio) ad rem noſtram minime pertinet.

Homerus ab Hippocrate citatur. Cap. XIX.

Homerū fontem ingeniorum iure & merito fuiſſe dictum, etſi ſatis conſtare arbitror, quod priſcorum, eorundemque optimorum auctorum plurimi, ſiue naturæ arcana indagarent, ſiue de morum ſcientia diſſererent, ſiue liberales vocatas diſciplinas pertractarent; Homeri verſus, tamquam grauiſſimos ad ſua placita confirmanda teſtes citare conſueuerint; itaque Homeri verſibus, & ſententiis Platonis præſertim ſunt referta volumina; tamen commonefaciendi ſumus non parum illius laudibus acceſſiſſe Hippocratis teſtimonio, qui libro de articulis duas ex Homero ſententias adduxit, alteram ad confirmandum illud, quod de bobus dixerat, eorum ſcilicet femora in fine hyemis magis luxari, propterea quod eo tempore tenuiſſimi fiant ex labore,

ex labore inquiens, Bene enim Homerus didicit, quod ex omnibus pecudibus boues quam maxime laborent hoc tempore, & ex bobus potissimum aratores. eo quod hieme operentur. alteram ad comprobandum causam alteram, cur hieme boues maxime attenuentur: qui, scilicet cum crassam habeant labij prominentiam ac crassam similiter & obtusam maxillam superiorem, breuem herbam depasci nequeunt. atque ideo gratissimum illis tempus ver esse, cum iam altitudinem assumpsit herba. hoc enim cecinisse Homerum dicit, versumque ex eodem recitat. ὡς δ᾽ ὁπότε ἀσπάσιον ἔαρ ἤλυθε βούσιν ἕλιξιν. *Haud secus ac bobus nigris gratissima veris Tempora proueniũt. Hoc autem notare operæ pretium duxi, quoniam diuinare non possum, quid viro doctissimo in mentem venerit, vt negaret Homerum ab Hippocrate citatum vnquam fuisse. verum quidem est, hunc versum in his quæ Homeri exstant non legi; sed viri docti tradiderunt, nonnullos versus in his quæ habentur deesse & plura Homerum edidisse poemata quæ non exstãt: quapropter versus ab Hippocrate citatus, cum vel possit deesse vna cum alijs in his, quæ exstant, vel esse potuerit in reliquis, quæ non habentur Homeri esse non recte negatur. quid vero, quod si quis contendat omnino, ac conuincat non esse Homeri; ei tamen ab Hippocrate attribuitur; & sic Homerus ab Hippocrate citatur. neque etiam est dubitandum de Hippocratis libro, quum Galenus inter germanissima illius volumina etiam librum de articulis recensuerit.*

De plantis quibuſdam, e quarum foliis radices prouenıunt. Cap. XX.

PLinius decimo capite libri decimi ſeptimi mirari ſe Trogum dixit, quoniam crediderit folia palmarum ſeri apud Babylonios, atque ita arborem prouenire. Sed cur miraretur cauſam non attulit. Verum nulla videtur dignum admiratione id Trogum credidiſſe, quod etiam a Theophraſto creditum videri poteſt, qui primo libro de cauſis plantarum hoc idem traditum ſcribit, nec redarguit ſcilicet folia palmarum (virgas ῥαβδους Theophraſtus vocat. forte virgæ vna cum folijs ſerebantur) videri debent ramorum, ſurculorum, & frondium vicem ſuſtinere. atque, vt ramus, aut ſurculus ab alijs plantis auulſus, ac terrę infixus plantam producit, ita palmarum virga, ſeu folium, (vt Trogus dicebat) tenerrimum tamen, datum telluri exit in arborem, quoniam in hac arbore præter radicē & caudicem, nihil eſt niſi virga & fructus, & vnde is pendet, palmes, quem ſic a Plinio vocatum video. ac licet alicubi diuidant ſe palmæ in truncos binos, & ternos, & quinos, tamen ipſi illi trunci non, vt aliarum, in ramos, qui in ſurculos; ſed in folia ſeu virgas ſtatim ſecantur. immo totus caudex niſi melius dicatur, totius caudicis cortex, non alio videtur conſtare, quam virgis, quorum ima capita (parte reliqua ob vetuſtatem decidente) remanent craſſarum inſtar ſquamarum, quę certo ordine aliæ ſuper alijs agnaſcantur. quid igitur prohibet e folio, quod ſingulari prope ratione e trunco naſcitur, plantam priuata eiuſdem arboris facultate prouenire? non eſt hoc, vt dixi, negatum a Theophraſto, qui pariter non negauit in Opunte herbam eſſe, cuius

ius e frondibus radices producerentur, quamquam primo libro de plantis dixisset, hoc esse admirabilius eo, quod ante dixerat de ficu Indica; eius videlicet ramos adeo in terram curuari, vt circa parentem arborem nouas sibi propagines faciant. nec Plinius illud de eadẽ herba negauit capite decimoseptimo libri vicesimiprimi: tantum dixit, mirum esse. puto, quia rarum, & a se nusquam visum.

Quid igitur de hac herba dicamus, quæ solo regionis, in qua nascitur, nomine nota est, non habemus; vt nec de palmæ satione aliquid exploratum ac certum. Sed nostra ætate factum est, vt omnis rei huius admiratio tollẽda sit. allatum est. n. ex occiduis regionibus orbis antiquis ignoti plantæ genus, quod Tune patrio vocabulo dici scriptum est, ficus vero Indica in Italia vulgo vocatur: quamquã longe differat ab ea ficu, quã Indicam Theophrastus, & alij vetusti auctores nuncupasse reperiuntur. ea igitur est huius plantæ natura, vt e folio terræ infixo radices procedãt, quod ea vis. s. in folio sit, quam reliquæ plantæ habent in caudice, ramis, surculis, frondibus, neque aliter crescit, quam folium e folio producens, donec ad quandam processerit amplitudinem: nam, quod primum prouenit, folium in ortu posterius nasciturі officio rami, surculiq. fungitur. & ex vno plura nascuntur, quemadmodũ truncus vnus in ramos plures diuiditur. est vero fruticosa potius planta, quam arbor, aut herba. nõ est enim in hac, vt in arbore, caudex: nec, vt in herba, seminifer caulis. sed proxime radicẽ plures veluti rami nascuntur, & locis varijs fructus proueniunt. quod ergo manifestum est in hac planta, suadet ea, quæ de opuntia herba, ac palma tradita sunt, etsi ob raritatẽ habẽt quãdã

admiratione͂,tamen incredibilia non esse.voluisseq.naturā sese quadā veluti relaxatione recreare. cum.n.videri iam posset foliū ad plantæ procreationem nihil conferre,atq.in eo laborasse parentem rerum,vt planta omnis(quæ non sponte sed ex alia nascitur)aut semine proueniret,aut radice,aut propagine,aut auulso vel ramo,vel surculo,aut caudice ipso(nam sic ēt nasci plantas auctor est Theophrastus secundo libro de causis plantarū;nihilominus tamē constituit,vt in unoquoque plantarum genere unum aliquod esset(nam plura esse nondū constat:)quod folio nasci posset:interq herbas opuntiā uocatam,inter frutices Tune, inter arbores deniq.palmā hoc priuilegio insigniuit. nisi quis accusare Trogū uelit,quia uirgas a folijs nō distinxerit.sed certum est, Theophrastum existimasse singulari quadam ratione satas palmarum uirgas stolones emittere.

Vt generosi cognomen in quibusdam fructibus ab antiquis acciperetur. Cap. XXI.

VItem generosam,& degenerem Theophrastus secundo libro de plantis γενναίαν καὶ ἀγεννῆ *memorauit quidem.sed quam proprie sic appellaret,nō explicauit.Plato libro octauo de legibus fructus,qui ueniūt nomine* ὀπώρας *potissime ficus,& uuas,distinxit in generosos & agrestes, illos* γενναίαν ὀπώραν, *hos* ἀγροίκον ὀπώραν,*uocauit.inter quos ea diuersitas esset, quod illi ad reponendum essent idonei, hi non item.* τὴν μὲν ἀθησαύριστον, τὴν δὲ εἰς ἀπόθεσιν γενομένην. *statuitque licere hospiti generosos fructus impune decerpere, uide licet uuā,quæ nec passa fieri pōt,nec uino idonea est,& ficus,qui siccari non possunt, ut in reliquū annū caricę seruentur.agrestes aūt tangendos non esse, unam, quæ*

passa

passa sit, & uino idonea est, ficus, qui arefacti caricæ dicuntur. multâ etiam reis, pro cuiusq statu, cōstituta. quod si quis arbitretur, Theophrastum hunc in modum uitem nuncupasse generosam, non male forsan opinabitur, sed hoc ego diuinare non ausim. Galenus secundo libro de alimentorum facultatibus nobiles uocauit uuas εὐγενεῖς contrario modo, quam Plato generosas: quoniā dicit eas reponi uariis modis cōsueuisse. ἀποτιθέμενοι ποικιλῶς. tantum abest ut eædem sint Galeno nobiles, & Platoni generosæ. miror autem Athenæū decimoquarto libro Platonis uerba ex octauo de legibus recēsuisse, ac quærentem, quæ sint generosæ ficus & uuæ a Platone dictæ, minus animaduertisse quæ, a Platone ipso dicta essent, respondet enim γενναῖα λέγει τὰ εὐγενεῖ, ἢ τὰ ἐπιγεγενημένα: quoniam altero nihil omnino explicatur, altero nihil, quod ad rem faciat. dicere εὐγενεῖς, nobiles; nihil est: quoniam nihilominus quærēdū est, quas nobiles esse intelligat. cui accedit, quod pro eodem τὸ εὐγενὲς & τὸ γενναῖον accipitur non bene: nam si quæ de nobili & generoso Aristoteles dixit primo libro de animaliū historia notaueris, intelliges aliquid esse nobile, quod non est generosum. ad rē uero minime facit, quod ait ἐπιγεγενημένα. hoc est insita, namque ex generosis etiam a Platone dictis sunt, quæ insitione non constant: quid enim prohibet nō esse? quod si cuipiā placeat interpretari ἐπιγεγενημένα post genita, lōge magis a Platonis sententia discedit, nec satis cum Athenæo consentit. nam quod attinet ad Platonem, ut ficus & uuæ generosæ dicantur, satis est ad reponendum aptas non esse, quod uero posterius gignantur nihil ad rem. immo econtra, quæ prius nascuntur, uuæ ac ficus, eæ generosæ essent dicendæ, quoniam ad condendum minimæ

omnium ſunt idoneæ. Athenæus vero non intelligit poſt genitas, ſed inſitas, vt illa indicat ratio quam ſubiungit. ὁ γὰρ Ἀριστοτέλης τὰς ἐμβολάδας αἰτίους ὀνομάζει τὰς ἐγκεντρισμένας (quamquam Suidas in vocabulo ἐμβεβλημένα, & ἐμβολὰς habet ἀριστοφάνης, non ἀριστοτέλης vt Athenæus) niſi dixerimus, quæ inſita ſunt, eſſe poſt genita, quia inſitio, cum ſit artis, poſterior eſt, & inſita ſunt poſteriora non inſitis. quamobrem vero Plato ficus, & vuas vocauerit generoſas, illa ratio poteſt eſſe, quod generoſum ab Ariſtotele primo libro de animalium hiſtoria dicitur τὸ μὴ ἐξιστάμενον ἐκ τῆς αὐτοῦ φύσεως. ficus, quæ non conduntur, & vuæ quæ nec fiunt paſſæ, & aptæ non ſunt, ex quibus vinum colligatur, generoſæ dici potuerunt, quia mutari nolint in aliam ſpeciem, ac veluti ſeruitutem non patiantur, quem in modum Eugeniam in Sicilia, & Latio vocatam ex Plinio colligitur, qui decimiquarti libri capite ſecundo, Eugeniam, inquit, Taurominitani colles cum generoſitatis cognomine amiſere Albano tantum agro, quoniam translatæ ſtatim mutantur. namque eſt aliquibus tantus locorum amor, vt omnem in his gloriam ſuam relinquant, nec vſquam tranſeant totæ. hoc ait. ſi ergo putemus apte id cognominis huic vuæ inditum, intelligendum eſt ijs tantum in locis, in quibus optima proueniebat, Eugeniam vocatam, non vbi ob translationem ſeipſa inferior naſcebatur. erat igitur Eugenia in Taurominitanis collibus, & agro Albano, non alibi, quia translata in Albanum agrum nihil priſtinæ bonitatis amittebat, in eoque ſolo genus ſuum, bonitatemque ſeruabat. quamobrem Plinius dixit ei tãtum miſſam. alibi vero cum deterior naſceretur, eugenia

nec erat nec dicebatur. quamquam aptius γενναία vocari potuit: nam quod ſui generis virtutem retinet, illud melius dicitur generoſũ, quod Græce γενναῖον quã ἐυγενές, quod eſt nobile dixerim vero generoſam optime dictam, ſi vbique locorum ſui generis virtutem integre ſeruaſſet. certe non appellaſſet Plato generoſam, quoniam ex ea vinum fiebat, vt ipſe Plinius auctor eſt eiuſdem libri capite ſexto, qui etiam comparabat idem genus ſibi ipſi, dum loci translatione mutatur, quod alias generoſum, alias degener vocari poteſt, quomodo forſan Theophraſtus dixit vitem generoſam mutari in degenerem. at Plato diuerſa inter ſe genera comparabat, quorum alterum generoſum, alterum agreſte nuncupabat.

Errores quidam notantur in ſcholijs Nicandri. Cap. XXII.

DVó ſunt ſcholiorum genera in alexipharmaca Nicãdri, alterum breue, alterum multo uberius. at vel idem vtriuſque auctor, vel diuerſus fuerit, idem in vtroque error eſt. nam qua parte Nicander Taxi mentionẽ fecit, quam Σμῖλον appellat, & homini lethalem ſignificat; ſcholia Andream habent auctorẽ, quod iuxta eam ſi qui dormiant moriuntur (quod a Dioſcoride etiam & Plinio habemus) Theophraſtum vero negant de homine quicquam dixiſſe. tantum de iumentis locutum. ὁ θεόφρασος περὶ μὲν τῶν ἀνθρώπων οὐδὲν εἴρηκεν, αὐτὸ δὲ μόνον. ὅτι τὰ λόϐουρα τῶν ζώων γευσάμενα ἀποθνήσκει *(ſic enim legerem, non* κολόϛουρα, *&* ἀποθνήσκειν*) manifeſto errore; quia non ſolum iumentis noxiam eſſe dixit, ſed de homine quoque locutus*

fructum edi ab aliquibus, esseq; suauem & innocuum. φασὶ δὲ τὰ μὲν λόφουρα ἐὰν φάγῃ τῶν φύλλων ἀποθνήσκειν, τὰ δὲ μηρυκάζοντα οὐδὲν πάσχειν. καὶ τὸν καρπὸν, ἐσθίουσι καὶ τῶν ἀνθρώπων τινές. καὶ ἐστιν ἡδὺς, καὶ ἀσινής. *fortè illud tantum uolebant illi interpretes negasse Theophrastum homini perniciosam taxum esse; at si dixerint, ipsi uideant.*

Sunt item duo sed alterius generis, errores notandi. Aconitum uocatum etiam Pardalianches, auctor est idem Nicander in Alexipharmacis interpres de Pardali eam historiam narrat, quam Aristoteles retulit nono libro de animalibus. Aconitum ab ea deuorari, si presens humanum stercus sit, quod est ei presidio cotra illud pharmaci genus, &c. ac subdit hoc ab Aristotele dici decimonono libro de animalibus, ἐν τῷ ἐννεα καὶ δεκάτῳ περὶ ζώων *apertissimo errore aut librariorum, aut cuiuscunque. est enim legendum, in nono,* ἐν τῷ ἐννάτῳ. *cui similis error est in eodē, ubi Perseæ mentionem Nicander facit, fructumq illius nucem appellat,* κάρυα. *namque interpres notabat uocatum* κάρυον *etiam Theophrasto in decimoquarto libro de plātis,* ἐν τῷ τέσσαρες καὶ δεκάτῳ *tamen hoc a Theophrasto scriptū est in quarto libro itaque illa sunt delēda* καὶ δεκάτῳ, *legendumq.* ἐν τῷ τετάρτῳ. *qui licet nō magnæ rei sint errores non tamen caret illorum animaduersio utilitate, ne quis tot uolumina* περὶ ζώων *ab Aristotele, &* περὶ φυτῶν *a Theophrasto edita existimet.*

De

Far, quid, quo ve nomine esset apud Græcos. vtrum idem res factitia esset. Cap. XXI.I.

Far apud latinos fuisse genus quoddam frumenti, notissimum est cum vero quæritur quodnam quo ve nomine esset apud Græcos, dubia res controuersaque est. Dionysius Halycarnassensis Zeam a Græcis vocatum Far affirmauit, & Galenus sexto libro κατὰ τόπους ex Asclepiade inquit. φάρους, ὃ καλοῦσι ζέαν. Plinius contra decimi octaui libri capite octauo dicens, qui zea vtuntur far non habere, ostendit se putasse, zeam a farre aliam esse, suntque ex recentioribus auctores, qui tradunt zeam esse, quæ spelta ab Italis vocatur rem a farre longe diuersam. quamuis non desint, qui zeam dicoccon Dioscoridis Far esse crediderint, Speltam vero simplicem zeam ab eodem vocatam. sed nec apud Theophrastum plura frumenti genera explicantem, quicquam est, quod recte far interpretemur. & Ruellius scripsit se nescire, quomodo far a Græcis diceretur. quæ non leuem afferunt coniecturam, Græcis vetustioribus far ignotum fuisse, quamobrem in Archigenis verbis apud Aetium de dysenteria scribentem, Græca tradente vtroque, Latinum nomen retentum videmus.

Quæritur insuper. Vtrum far præter id, quod frumenti genus erat factitia res esset alia, quā farina: nā præter

præter adoreum reperitur triticeum & hordeaceum, quæ aliqui arbitrantur non esse aliud, quam farinam ex tritico & hordeo, non autem ipsum triticum, vel hordeum fractum, seu mauis fresum; vt legumina fresa dicuntur, non in pollinem redactum, sed in crassiores portiones ruptum atque diuisum, quo pacto far in mensam venire solet; atque hunc in modum Pausanias referente Eustathio Iliadis. N. dixit triticum fresum, πυρὸν ἐρεικτὸν *quemadmodũ* [a] *alibi notabam* κριθέων, φακῶν, ἐρεβίνθων ἔριγμα *dici ab Hippocrate.*

[a] Sup. eiusd. lib. cap. 5.

Quod igitur factitia res esset, suadere alij conati sunt Archigenis testimonio apud Aetium loco nuper dicto, explicantis, vt far a Romanis e frumento madefacto & deinde siccato, fractoque demum conficeretur. item Palladij auctoritate farris hordeacei mentionem facientis. quibus tamen, quod volunt, non concludunt. quoniam Aetij Græca exemplaria manu notata, ac vetusta, intantum inter se differunt, vt veram lectionem diuinare necesse sit. Palladium vero, sicuti & Columellam, (ab hoc enim Palladius ea sumpsit) qui factitium far negant semper certabũt, non intellexisse aliud quam farinam.

Quæ autem mihi persuadent fuisse quoque far factitium, hæc sunt. Pausanias nihil aliud quàm triticeum far, quod farina non esset, illis verbis notauit, ἐρεικτὸν πυρὸν. *quibus subiungitur, vt est apud Eustathium.* λέγει τὸν μὴ εἰς ἄλευρον ἀληλεσμένον· ἀλλ' ὥστε δύο ἐξ ἑνὸς γεγονέναι, *quod est, triticum fresum dicit, non in farinam molitum, sed vt ex vno facta sint duo. nomen farris non dixit, rem ipsam exposuit. Plinius, septimo capite libri decimioctaui, non videtur posse aliud quam factitium far significare, inquiens,*

Far

Far in Aegypto ex olyra conficitur. non enim farinam significare par est, quoniam ex tritico etiam farinam faciebat Aegyptus: est enim idem auctor octauo capite eiusdem, Aegyptum fecisse similaginem ex tritico suo. nec diuinandum est, quod far ex olyra conficeretur, vt triticum ex lolio aliquando fit & econtra: hoc enim certos habet auctores, illud neminem. M. Cato libro[a] de rebus rusticis villicæ officia recensens. Farinam, inquit, bonam, & far subtile sciat facere. non fuit autem Cato tam verbosus, vt eum far in his verbis pro farina accepisse iure existimemus. quamobrem etiam apud Varronem[b] illa verba, & farre subtiliore incipiat alere, de factitio farre, non de farina credimus dicta. Hæc autem videtur fuisse rei origo, ac series. ex adoreo primus fuit antiquis Latio cibus Plinio[c] auctore: quod, vt commode mandi posset, principio in plures portiones findere excogitarunt, farque appellarunt, a quo deinde farina dicta, vt idem est auctor Plinius,[d] quasi hoc diminutiuo nomine far subtilissimum significatum fuerit. venere deinde in vsum alia frumenta, vt triticum, siligo, hordeum, ex quibus eodem modo vt factum ita appellatum est far, videlicet triticeum & hordeaceum. sed ipsum adoreum farris nomen, commune futurum, propter vetustatem sibi vendicauerat.

[a] Cap. 145.

[b] 3. lib. de re rust. c. 55.

[c] 17. lib. c. 8.

[d] eiusd. libr. 18. cap. 9.

Theriacæ vocabulum quid apud Varronem significauerit.
Cap. XXIIII.

EST M. *Varronis sententia, qua ad temperantiam & frugalitatem hortabatur. vel maxime illic didici*

dici & sitienti theriacam mulsum. esurienti panem cibarium siligineum, & exercitato suaue somnum. quo loco (si vulgata lectio sit retinenda) viri doctissimi, theriacæ vocabulum perpendentes, dubitarunt, quomodo theriaca mulso comparari potuerit, quæ ob crassitudinem, & duritatem potui apta non est. nec caret dubitatio ratione: quoniam, vt mulsum erat ad potandum idoneum, & paratum, ita quod illius vice a sitienti arripi debet, potui æque idoneum ac paratum debere esse, rationi consentaneum est. at, qui sitit, non accipiet theriacam, quæ nisi prius vino, aut liquore alio dissoluta bibi non possit, sed, illa omissa, liquori ipsi statim labra admouerit. ac eos, qui inauditum dixere theriacam potari, crediderim, non ignorasse illam liquore aliquo solui posse, sed intellexisse, eam non esse potui idoneam, quia foret ad sitim extinguendam inepta, quod est proprium potionis munus, siue finis, vt ciborum est famem eximere. nam, vt cibus non est quicquid manditur & deuoratur, nisi famem auferre possit; nam vitrum, & terra a nonnullis deuorantur, quæ famem non tollunt; sic potio non est quicquid liquidum ore sumitur, & in ventrem demittitur, nisi idem sitim depellat. nostra igitur theriaca, nec ita paratur, vt prompte bibi possit, nec ebibita, vt moris est, sitim extinguere idonea est. Animaduertebam quoque, illud profecto constare de theriaca nostra Varronem loqui minime potuisse, quam diu post Varronem Andromachus fertur Neronis principatu composuisse; sed hoc non auferre doctorum hom-

hominum dubitationem : quoniam simili modo, quo Andromachi, multæ ante ipsum theriacæ compositiones quæ fuerunt, idem medicamentorum genus, sed numero, ac ponderibus permutatis, reciperent, & similiter ad potandum, & sitim pellendam ineptæ essent. nec etiam dixerim, vinum ex vua theriaca appellata Theriacam a Varrone dictam, quoniam ab antiquorum nullo hoc traditum est. cumque vuæ theriacæ mentio celebris, eiusque ars conficiendæ tradita fuerit, mirum esset a nemine dictum, quod ex ea vinum, theriacæ appellatione venisset.

Verum si res crassiore Minerua consideretur, omni carere difficultate videri potest. Theriaca dicebantur a Græcis cuncta medicamina vim aduersus ferarum virus habentia. Nicandri liber exstat, qui θηριακῶν inscribitur, in quo & feræ venenatæ, & remedia aduersus illarum venenum describuntur. cum vero pluribus modis in vsum veniant, pleraque liquore aliquo soluta potantur. suntque amara omnia, & inepta sitim extinguere, nisi ab aliquo, qui confectus siti, ac victus sit necessitate. bibantur huic enim amarus potus, qualem alias ne gustare quidem velit, mulsi instar iucundus potest esse. alioqui sunt amaræ quædam potiones, vt vina vetustissima, & fumo inueterata, quas assueti iucunde bibunt, non assueti vero initio abhorrent, ac gustare recusant. at inopia vim quandoque occupat consuetudinis. quamuis igitur theriaca, qua nostri vtuntur & aliæ simili modo confectæ, sint ad potandum ineptæ, tamen nihil prohibet,

quin

quin aliquãdo, etsi fortuito; puta si ęgri cuiusdam causa paratæ forent; sint alicui obuiæ, & expositæ, quas grauiter sitiens, sed inscius, auide arreptas vel suauiter bibat. vt theriaca nihil aliud Varroni significauerit, quam potionem amaram, de genere earum, quæ aduersus serpentium venenum sumebantur, non eam quidem Andromachi, qua nos vtimur, sed quamcumque, quarum numerus certus, ac definitus vllus non erat. Si cui vero persuasum sit, Varronis verba castigatione indigere; is a M. Antonij Mureti sententia recedere non debet, qui pro, theriacam, ex Xenophonte, videri aquam, legendum scripsit.

De Theriaca magni Antiochi ex Plinio, & Galeno. Cap. XXV.

Galenus secundo libro de antidotis ex Eudemo medico trãscripsit theriacam, qua vsum vterque dixit Antiochum Philometora. sed Antiochum hoc cognomine vllum ab historiarũ auctoribus traditũ ausim negare. Ptolemæi vnius hoc fuit cognomẽ. Antiochum magnum eos dixisse oportuit. eam enim describunt theriacam, de qua Plinius locutus capite vicesimoquarto libri vicesimi, in fine inquit, Hac theriaca magnus Antiochus rex aduersus omnia venena vsus traditur. nec fortasse versus, quos Galenus scripsit, Eudemi fuere, cum Plinius dicat, illam confectionem versibus fuisse incisam lapide in limine ædis Aesculapij. quo ex loco Eudemus potuit versus illos in suum volumen transferre. est autem Plinij lectio ex eisdem versibus castiganda. quia non Milij, sed Mei legendum est, nam in carminibus scriptum est μήου ἀπὸ ῥίζης. *esset*

etiam

etiam delenda vox, anethi, quæ nec in carminibus locum habet, nec in prosa Galeni legitur. cætera medicamenta eadem sunt. siue genus, siue numerum, siue pondus singulorum, siue conficiendi modum, atque utendi respicias. Galenus ex uersibus ita colligebat. radicum mei, serpylli, opopanacis, singulorum drachmas duas. seminis trifolij drachmam vnam anisi, fœniculi, ammeos seminis apij singulorum acetabulum unum. farinæ erui tenuissimi acetabula duo, uini antiqui quantũ satis est ad commiscendum, vt rotulas hinc conficere possis: quas in umbra siccatas ex tribus uini cyathis, trium obolorum pondere dabis. Plinius uero ex dicto lapide hunc in modum. Serpylli duum denariorum põdus, opopanacis, mei, tantundem, trifolij pondus denarij, fœniculi seminis, & anisi, & ammij, & apij denariorum senum singulis generibus. erui farinę duodecim. hæc tusa cribrataque uino quam possit excellenti, digeruntur in pastillos uictoriati pondere. ex his singuli dãtur, ex uini mixti cyathis ternis. carmina apud Galenum legito, qui uolet. unum tamen suspensum me detinet, quod Plinius habet senos denarios pro eo, quod in carminibus est acetabulum, ὀξύβαφον, & duodecim denarios pro duobus acetabulis. cum alibi Plinius acetabulo denarios quindecim contineri dicat, cæterique auctores alias sesquicyathum, alias duas uncias, alias paulo amplius capi eodem asserant, senos denarios nũquam. tamen in hac diuersitate est similitudo, quoniam & apud Galenum & apud Plinium accipitur erui farina duplo pondere, cuius singula capiuntur semina. cætera belle respondent.

Vtrum

Vtrum vua taminia Plinio sit labrusca. Cap. XXVI.

CVm dubitatum sit a viris doctis, vtrum vua taminia ex Plinij sententia sit labrusca: ego etiam, vt rem hanc intelligerem, Plinij verbis, quantum fieri potuit diligenter consideratis, ita demum sentire coactus sum. Sicuti Dioscoridem videmus duo vitis syluestris genera seorsim persecutum. ita verba illa Plinij primo capite libri vicesimitertij, labrusca quoque oenanthen fert satis dictam. Quæ a Græcis ampelos agria appellatur, & c de duplici vite intelligi possunt, vt altera labrusca sit, altera, quā Græci ampelon agrian vocant, non habentes aliud vocabulum proprium ad designandum alterum genus, quod Latini labruscam vocarunt (quod faustum. felixque sit M. Tullio Latinæ linguæ diuitias sæpius commendanti) in quam sententiam discessere viri insignes H Barbarus, M. Vergilius, I. Ruellius. dicente autem Plinio, se credere, vuam taminiam esse ex his alteram, quæ ampelos agria dicitur, aliamque quam labruscam: sequitur ex eius sententia, vuam taminiā labruscā non esse videtur autem rationi consentaneum, duo hæc genera fuisse diuersa, quoniam, quæ alteri Plinius tribuit alteri non conueniunt. alterius ait folia spissa esse, & candicantia & a alibi dixit, dura & cineracei coloris, addebatque b Dioscorides: hortensis solani frondibus similia esse, quæ in labrusca non sunt: quam loco potius, & culturæ neglectu a satiuis distinguimus vitibus, quam proprijs aliquibus notis quæ speciem omnino aliam ita constituant, vt, si inter satiuas labru-

a liber. 27. cap. 7.
b 4. lib.

ca fuerit, a quouis prompte dignosci possit, siquidem etiam satiua neglecto cultu pro labrusca quandoque à nonnullis accipitur. dicebat quoque a Plinius eam syluestrem vitem, cuius folia sunt dura, & cineris colore, herbam esse, sicut Dioscorides etiã de ea scripsit quarto libro, in quo solum herbas prosequebatur. at labruscam nemo audeat herbam vocare. Plinius primo capite libri decimiquarti, vites, inquit, iure apud priscos magnitudine quoque inter arbores numerabantur. & Theophrastus de vite tunc agit solum, cum arborum naturam persequitur. ac iure, habet enim vitis arborum modo caudicem, & pendentes fructus è diuersis ramis, non autem in caule semen, vt herbis conuenit. insuper ait b Plinius alterius acinos cocci modo rubere, & semen c habere acinis mali punicæ simile. labruscæ autem fructus nigrescit, aciniq. reliquarum vuarum acinis similes sunt. demum Plinius capite quadragesimo libri decimisexti, probatur, inquit, & vitis syluestris alia, quam labrusca, & ipsa hederæ modo arborem scandens. quibus verbis nihil clarius ad significandum duo vitis syluestris genera ab ipso intellecta. est autem verisimilius, hanc vocatam vuam taminiam, quam labruscam, ob ea, quę hactenus diximus. quod si Galenus, Paulus, & Auicenna, vnum tãtum vitis syluestris genus tradiderunt, vt aliqui dicunt: non propterea discedendum est ab hac sententia, quoniam quærimus quid Plinius crediderit, nõ quid credere debuerit: eiusq. opinionem eam esse, quam exposuimus, videmur satis firmis rationibus ostendisse. possumusq. eandem corroborare sumpto ex verbis Dioscoridis ar-

a eod. 27.

b eod. 23.

c eod. 27.

gumento, quo conuincitur, vt opinor, duo vitis syl uestris genera ex eius quoque sententia fuisse: nã quinto libro ait, vitem syluestrem (eam, quæ Latinis labrusca est) duum esse generum, quorum alterum non maturescit, sed flore tenus œnanthes nominatum perducit, quod genus non est vua taminia, (quod est alterum vitis syluestris genus, cuius Dioscorides meminit in quarto libro) quoniam fructus eius maturescit. alterum vero genus labruscæ, quod ad frugem peruenit, acinos habet nigros. at vua taminia rubentes. καρπὸν παιπαινόμενον ἐρυθρὸν *inquit* [a] *Dioscorides. Tantum dubitabamus, cur tam pauca de labrusca eo loco Plinius dixisset? at neque hoc de sententia dimouere nos potuit. videmus Dioscoridem paucissima de labrusca dixisse, tantum attulisse differentias, quas diximus, plantæ vero descriptionem, vt rei notissimæ, omisisse, remedia monuisse eadem esse ex labrusca, quæ è culta vite esse dixerat. eadem Plinium spectasse existimo. sed; quia eodem* [b] *capite locutus erat de flore satiuæ vitis; atque staphisagriæ; legentium commoditati consulens, admonuit de labruscæ quoque flore multa dici posse sed omittenda. quoniam de eo satis ante dixerat, scilicet proœmio libri eiusdem, & vltimo capite libri duodecimi. quibus locis tam copiose de œnanthe scripsit, vt iure ac merito dixerit, œnanthen satis dictam itaque concludimus vuam taminiam apud Plinium non esse labruscam.*

a cod. 4.

b 1. cap. lib. 23.

Plinij quædam de œnanthe perpenduntur. Cap. XXVII.

Plinius postremo capite libri duodecimi inquit, eodem & œnanthe pertinet. est autem uitis labruscæ vua: colligitur cum flore, cum optime olet. quidam autem Dioscoridis interpres suspicatus est male scriptum esse, cum flore, sed legendum, cum floret, quoniam, inquit, non video, quomodo quis vnquã vuam cũ flore colligere possit. ego vero non intelligebam, si colligatur cum floret (quod hic videtur concessisse) quomodo non cum flore. an cum floret non habet florem: hoc absonum est, atque ridendum. an flos ipse primum discutitur, tum vua colligitur? & hoc risu dignum est, ac falsum. nec me mouet, quod Dioscorides dicat, cum floret, ὁπότε ἀνθεῖ: quoniã mihi satis persuasum est, Plinium a Dioscoride nihil accepisse. maximeque hoc loco, vbi multo plura Plinius de œnanthe, quam Dioscorides scripsit. atque hoc amplius docuit, florem cum fructu colligendum esse: quoniam sine flore in vsum non venit. vtque ipso nomine flos indicatur, ita reipsa flos intelligendus est, & octaui lib. κατὰ τόπους cap primo, Galenus œnanthen cũ flore dixit esse. σὺν τοῖς ἄνθεσιν. nec aliquid prohibet huius vitis fructum immaturum, ac nuper editum, suscepto exiguo incremẽto, cum flore colligi, vt reipsa colligitur, ac propterea existimandum est, probe scriptum esse, cum flore.

Plinium a Dioscoride nihil accepisse. Cap. XXVIII.

PRoximo capite professi sumus Plinium a Dioscoride nihil accepisse. Sunt qui contra sentiunt plerique. quorum opinio probabilis videri potest, quoniam eadem plurima in vtroque sunt, Pliniusq. videtur interpres eorum, quę Gręce Dioscorides litteris mandauit. ac Dioscorides antiquior Plinio sine controuersia habitus videtur, dicente Suida, illum apud Cleopatram Aegypti reginam satis diu ante Plinij ætatem fuisse.

Mihi vero hęc opinio non solum dubia, sed falsa etiam demum est visa, persuaso primum probabilibus coniecturis, deinde etiam argumentis firmissimis. Hermolaus Barbarus in castigationibus Plinij ad libri vicesiminoni caput sextum scripsit, Dioscoridem aut Plinio contemporaneum, aut non multo posteriorem fuisse. sed quibus hoc sibi persuasum esset argumentis, non attulit. quæ mihi persuaserunt, hęc sunt.

Fuere igitur & alij, qui suspicati sunt Plinium & Dioscoridem communes auctores habuisse, quos vterque secutus sit. quamobrem minus ad persuadendum sit idonea illa ratio, quę sumitur a similitudine eorum, quæ in vtriusq. volumine leguntur. exemplum est Sextij Nigri, a quo nominatim citato plura Plinius accepit, quę eisdem fere verbis, diuersa tantum lingua, leguntur apud Dioscoridem. quod quiuis plane intelliget ex libri sextidecimi capite decimo, ex vicesimi duodecimo, tertiodecimo,

vicesimo, ex vicesimi octaui octauo, nono, quartodecimo, ex vicesimi noni quarto. ex tricesimi secundi tertio. in his enim citato Sextio ea traduntur, quę nomine illius suppresso, Dioscoridis crederentur esse. quod si Dioscorides Nigrum secutus videri a quibusdam non potest, quoniam [a] auctoritatem eius vna cum aliorum quorundam [b] refutat. non tamen repudiat penitus Iollam, & Heraclidem, ac de Crateua, & Andrea honorificentius loquitur. quos omnes auctores inter multos alios Plinius habuit, e quibus eadem multa Dioscoridem sumpsisse verisimile est; quippe qui veterum sententijs subscribendum esse fateatur. sic notabamus, Plinium quinto capite libri vicesimi, quas vires Siseri Dioscorides tribuit, fusius ex Opione, Diocle, Heraclide, Hicesioque recensere. & vndecimo eiusdem ex Chrysippo dicere, quod ocymum claritati oculorum inutile est, & ex Diodoto, quod pediculos in cibo facit. dixisse autem Dioscoridem oculis obesse, & manducatum, atque in Sole positum vermiculos creare. item vicesimo eiusdem ex Diocle de Hippomarathro ea loqui, quorum Discoridem auctorem diceres, si Dioclis nomen non adesset. Dioscorides quoque ait, Crethmum menses ciere radice, & semine ex vino. hoc Hippocrates etiam dixerat. Plinius idem scripturus Hippocratem citauit. Dioscorides ait, Cicutam mammas in virginitate coercere, Plinius eiusdem sententię auctorem Anaxilaum faciebat. Insuper [c] Galenus scripta Nigri de materia medica (ijs exceptis, quę de causis ratiocinatus est) probat omnia, & ad ea legenda nos hortatur, vt ve-

[a] Rudæus 5. lib. de assi.

[b] Dioscor. procemio lib. 1.

[c] Sexto lib. simpl. medic.

risimile sit Dioscoridem non omnino a Nigri auctoritate abhorruisse. Nec etiam video, cur Pliniũ tam ingenue professum, per quos profecerit, nominatis auctoribus, quos in singulis librorum secutus sit; fœminis quoque nonnullis nominatim citatis, minime quoque indignum ratus ab ea ætate recentes quosdam memorare, vt Celsum, & Columellam; Dioscoridem dissimulandum existimasse credamus. Quod vero Dioscorides Plinio antiquior fuisse dicatur; etsi non conuincit: quoniam causæ non desunt, propter quas volumen Dioscoridis Plinium latere potuisset; vrget tamen, cum doctis omnibus (quantum nouimus) persuasisse videatur. quorum auctoritatem ut desererem veritatis cura, amorque fecit. namque impensiori quodam studio rem hanc pertractanti mihi occurrebat ratio, qua conuelli communis opinio videbatur. ostendebatur enim, Dioscoridem ęqualem Plinio fuisse, aut certe paulo maiorem natu, si non minorem. quamobrem probabile videretur, eius volumen Plinio incognitum fuisse.

Ea erat, quod de Planta Hiberide Dioscorides in fine primi libri eadem scribit, quę Plinius octauo capite libri vicesimiquinti; eius autem plantę inuentorum Democratem dictum non solum a Plinio, verum etiam a Galeno secundo capite libri decimi κατὰ τόπους; *vbi quoque scriptum est carmẽ, cuius Plinius mentionem fecit. & à Democrate huius herbę inuentioni assignatum dicit. at Democrates paulo uetustior Plinio fuit, ut ipse auctor est Plinius inquiens, Inuenit nuper & Seruilius Democrates. Si uero hęc Dioscoridi nota fuisse fatea-*

mur, æqualem eum, aut posteriorẽ Democrate fuisse necesse est. Sed obstabat, quod caput illud postremũ primi libri Dioscoridis in vetustis exẽplaribus manuscriptis non extat, & alieno loco positũ viri docti existimarunt. quia tamen in eo dicta non reijciuntur vt falsa; si non cogit hęc ratio, suspicionem inducit saltem non spernendam, Dioscoridem multo recentiorẽ fuisse, quam Suidas existimauerit. qui eum cũ Cleopatra fuisse fortasse dixit, quoniam, non animaduertens plures eo nomine fuisse, apud Dionem a *legerat Dioscoridẽ quendam, qui regij exercitus partẽ ducebat, a Mithridate Pergameno interfectum, cuius etiam fit mentio ab* b *Oppio: fallaci coniectura: non quia idem non potuerit medicus esse ac miles, & dux exercitus; quales Homerus memorauit Aesculapij filios in Iliacis rebus, ac de se ipso* c *Dioscorides dixit, vitam a se militarẽ peracta; sed quia multos huius nominis fuisse cõstat, Dion vero & Oppius illius, quẽ memorauere, nec cognomẽ, nec patriã scriptis mãdarũt.*

a hist. lib. 42

b 3. lib. de bello ciuili.

c proœmio. lib. 2.

Augebat hanc suspicionem firmior ratio ex eo sumpta, quod de Euphorbio Dioscorides litteris tradidit nam eam plantam libro tertio scribit Iubæ regis Lybiæ temporibus repertã, & in proœmio primi libri testatus est, de eadem scripsisse Nigrum; necessarium igitur est Dioscoridẽ fuisse illa ætate inferiorẽ, qua Euphorbium inuentum dictum est: quoniam Nigro fuit posterior, qui eadem ætate vel posterior, vel non prior esse debuit, cum de plãta eadẽ scripserit. ergo Dioscorides nequiuit apud Cleopatram esse, quæ circa initia imperij Augusti obijt, cum hic Iuba diu postea regnauerit.

Sed sunt duo prȩterea argumenta validissima, quibus communis sententia funditus euerti videtur. alterum est, Dioscoridem primo capite libri sexti Themisonem memorare, & Eudemum medicos. quamobrem necesse est, illum post Augusti tempora extitisse, cum Cleopatra initio imperij illius, & ante fuerit. nam Themison fuit Asclepiade posterior, quippe auditor eius fuit auctore Plinio[a] *constat autem Asclepiadem Pompeij magni tempore vixiße. Themisonem igitur Augusti tempora attigisse par est. Themisonis sectatorem fuisse Eudemum testatur Cælius*[b] *Aurelianus, vt probabile sit eum, vixisse post Augustum Tiberij principatu, ac fortasse is fuit, quem Liuiȩ Drusi medicum & amicum Corn. Tacitus*[c] *narrabat. quo posterior cum Dioscorides fuerit, Dioscoridem Cleopatrȩ temporibus vixisse falso opinantur. nec debet aliquis existimare hunc Eudemum illum esse, qui Erasistrati ȩqualis a Galeno*[d] *dictus est. quoniam is de hydrophobia, de qua Dioscorides, & Cȩlius loquebantur, scripsisse non potuit. alioqui non fuisset, quod dubitaretur, vtrum hydrophobia vetus morbus fuisset, an nouus Pompeij magni ȩtate, cum Asclepiades floruit, vt est auctor Plutarchus.*[e] *quoniam Eudemus ille multo antea, videlicet paulo post Aristotelis tempora, qui fuit auus maternus Erasistrati, extiterat.*

Alterum argumentum ex ipsius Suidæ narratione colligebam. nam Dioscoridi huic patriã fuisse Anazarbum omnium consensu probatur. at hoc ciuitatis illius nomen ante Plinij ætatem non fuit. docet enim Suidas Ciliciȩ vrbem nomine Cyindam

pri-

[a] lib. 29. c. 1

[b] lib. 2. acut. morb. cap. 38. & alibi

[c] 4. lib. annal.

[d] 6. sect. aph. 2.

[e] 8. sympos. 9. probl.

primum fuiſſe, dein Diocæſaream, poſtremo Anazarbum fuiſſe a Zarbę nomine, qui terręmotu euerſam reędificauit a Nerua Imper. miſſus. dum Cleo patra viuebat Cyinda uocabatur: quod Strabo [a] teſtatur, qui eadem florebat tempeſtate. igitur nec, qui cum Cleopatra Dioſcorides fuit, Anazarbeus appellari, nec, qui Anazarbeus ab omnibus vocatur, Cleopatrę temporibus eſſe potuit. ſed neceſſe eſt fuiſſe poſt Neruam, ſub Traiano, Adriano, & Antonino, ante M. Aurelium, quo regnante Galenus floruit. quod tempus medium eſt inter Galeni ætatem, ac Plinij, qui in ea veſuuij conflagratione, quam Titi temporibus accidiſſe conſtans inter auctores fama eſt, mortem obijt: qua in re Gręcus auctor, qui τὰ χρονικὰ ſcripſit, deceptus eſt, nā de Plinij nepotis obitu ſub Traiano ea dixit, quę Plinio Veronenſi auunculo ſub Tito acciderunt. de qua re Ioannes Antonius Pantheus ciuis doctiſſime, & veriſſime ſcripſit. quamobrem potius exiſtimare eſt Dioſcoridem a Plinio, quam contra, hunc ab illo accepiſſe: non fuit enim Plinius Gręcis auctoribus penitus ignotus, cum illum [b] Athenęus aliquādo memorauerit, qui e diuerſo Dioſcoridem citauit numquam, & ſi in Gręcis auctoribus nominandis minime parcus: nam illum, cuius mentionem fecit primo libro, quarto, & vndecimo, alium fuiſſe quam hunc, de quo loquimur, ſatis mihi perſuaſum eſt: quoniam primo libro Iſocratis diſcipulū facit, quod de Anazarbeo ridicule diceretur. quarto vero, & vndecimo Dioſcoridis teſtimonium ſic adducit in re, quę non ad medicinam, ſed ad ciuilia munera tātum pertinet, vt nulla ratione cogamur exiſtimare

[a] 4. lib. geograph.

[b] 15. lib. dipnos.

alium

alium hunc fuisse, quam eum, quem primo libro Isocratis discipulum appellauerat. His satis explosa videtur ea sententia, quod a Dioscoride Plinius aliquid sumpserit, modo scrupulos quosdam, qui reliqui sunt, eximere nobis ex animo valeamus.

5. lib. cap. 27. *Namque inter Ciliciæ populos Plinius a Anazarbenos memorauit contra id, quod de Anazarbi conditore ex Suida dicebatur. Deinde Galenus in proœmio interpretationis* τῶν γλωσσῶν *Hippocratis, Dioscoridē iuniorē, quē patrū suorū ætate vixisse narrat, ideo reprehēdit, quod ab Anazarbeo, vt etiā a Nigro & Pāphilo, quędā impudēter trāscripserat qua narratione significatur Anazarbeū Dioscoridē ante Traiani & Adriani tēpora extitisse.*

Postremo Erotianus; quem circa Neronis annos fuisse inde colligimus, quoniam ad Andromachum archiatrum scribit; Dioscoridem, qui de materia medica scripsit, aliquando citat. ergo necesse est, Dioscoridem antecessisse Neronis ętatem, atque ideo fuisse vetustiorem Plinio, quem valde iuuenem Neronis principatu fuisse certum est.

Si hosce scopulos superare aliquis possit, videtur in tutum ex difficili nauigatione portum statim venturus. quo nos potituros speramus, dum animorū, qui hęc ęstimaturi sunt, ęquitas, & moderatio aurę instar cymbam nostram leniter prouehant. In eo igitur, quod ex Plinio obijcitur, siquis contendat Dioscoridem quoque Anazarbenum vocandū; hic primum confundit voces non parum dissimiles, pręsertim si gręcum sonū respicias, ἀναζαρβεῦς *&* ἀναζαρβηνὸς, *dixit enim Plinius Anazarbenos, vt etiam Adiabenos, qui Gręce sunt* ἀδιαβηνοὶ

non

non autē ἀδιαβέες, quēadmodū ἀναζαρβέες. deinde, quod pluris faciēdū est (quoniā nomina arbitratu hominū variantur) omnē aufert Suidę auctoritatē, qui eandē in suo indice historiā ter attigit, scilicet in vocabulis ἀνάζαρβος, διοκαισάρεια, κύινδα. nec aliud oppidū vocatū Anazarbū memorat, pręter id, quod antea Cyinda nuncupabatur, cuius vt ait, ciuis vocabatur ἀναζαρβεῦς. et Stephanus libro de vrbibus, vnius tantū Anazarbi fecit mentionē. cūq; dixisset sic vocari ἀπὸ τοῦ προκειμένου, ἢ ἀπὸ κτίσαντος, idest à pręside, seu conditore; subdit, ex ea fuisse medicum clarissimum Dioscoridem. itaque horum auctoritatem secutis dicendum est, Dioscoridem Anazarbeum ex ea fuisse Anazarbo, quā Nerue iussu reędificatam Suidas scripsit, non autem vocandum Anazarbenum, quemadmodum a Plinio vox illa accipitur. ac mirum esset Strabonem in eadem Asia natum, in regione Cilicię finitima (est enim Cappadocia [a] Tauro Cilicię adiuncta a meridie) Cilicię vrbes describentem, ac viros sui quoque temporis in singulis earum memoria dignos honorifice memorantem, nec Anazarbum, nec Dioscoridē nominasse, de Cyinda tantū [b] pauca dixisse. & erat quidē necessarium, si Dioscorides vere dicitur Anazarbeus à dicta Anazarbo, & Cyinda ipsa dicta est postea Anazarbus, etiā Strabonis ętate Anazarbū fuisse: quoniā Strabo eodē, quo Cleopatra, tēpore, & postea etiā vsq; ad Tiberij principatum vixit: quapropter vt Cyindę ita Anazarbi mentionem fecisset. alioqui nō est incredibile, in eadem regione alios fuisse Anazarbenos, quos Plinius, alios Anazarbeos, quos Suidas, & Ste-

a 12. lib. Geograph.

b 14. lib. geograph.

& Stephanus commemorarunt. atque ita credendum est: cum Plinius sua ętate dicat Anazarbenos vocatos Cęsar augustanos, tamquam Anazarbenorum prius quam Cęsaraugustanorum nomen fuisset, quod cum historia Suidę minime conuenit, qui contrario modo primum dictam Diocęsariam, postea Anazarbum asseruit.

Ei vero, quod a Galeno sumebatur, hoc modo occurritur. Satis esse si tempora assignentur, quibus, cum inter Plinij ac Galeni ętatē Dioscorides Anazarbeus dici potuerit ab oppido Nerue iussu resti tuto: tum ex eius voluminibus alter Dioscorides sumere, quę voluit ante Galeni ętatem, potuerit: dico igitur constare, Galenum natum esse circa finem Adriani, aut circa initium Antonini, & in aliquo numero haberi cęptum Marci Aurelij tempestate, quo imperante Romam venit ante bellum aduersus Germanos ab ipso Marco gestum, cum annos paulo amplius, quam triginta natus esset. constat etiā, inter Nerue ac Marci tempora, medios fuisse annos quatuor supra sexaginta. item illud satis est manifestum, cum tempus alicuius citatur, non to tam ętatem, sed eam partem, qua maxime viguit, significari consueuisse. Cùm igitur Galenus ait, iuniorem Dioscoridem sui patris tempestate vixisse; nec plura de eius sint cognita temporibus; probabile est Adriano imperante extitisse, ac forte verum est, peruenisse ad tempora Antonini, cum iam natus quidē, sed infans adhuc Galenus esset. cumque Adrianus regnauerit annos viginti atque amplius, nihil prohibet, quin intra hoc tempus Anazarbei Dioscoridis libri in lucē editi sint, a quibus

iunior hic Dioscorides multa transcripserit, cum nondum Galenus esset. nec necesse est, a quo aliquis transcribit, esse multo vetustiorem, quando nonnũquam euenit, ut æquales furti se accusent mutuo. possumus igitur Anazarbeo partem annorũ Adriani assignare. ac prçterea annos Traiani, qui fuerunt fere viginti, atque alios superiorum principũ Neruæ, Domitiani, & aliorum, quot quisque uoluerit. nam satis est sic ostendi; mutatis iam, Nerua imperante, Cyindæ, & Diocçsareç nominibus in Anazarbum, ut Suidas retulit; potuiße post Pliníj çtatem, qui ante Traianum uita, ut dixi, functus erat; Dioscoridem alterum Anazarbeum uocari, etiamsi ipso uiuente Anazarbus dicta fuerit; & alterum deinde ex eius uoluminibus aliqua sumere, cum nõdum natus esset Galenus, aut çtate foret non memorabili.

Testimonium denique Erotiani (parcant quçso uiri docti, nec de nostra sententia, nisi prius çquo animo re diligenter æstimata, quicquam pronuncient) nullius momenti esse censendum est. quoniam liber ille in temporum definitione nullam habere auctoritatem debet: namque auctori penitus ignoto adscriptus est. quamuis enim multa bona in eo notata sint, quamobrem uiri docti dignum iudicauerint, qui typis egregíjs excusus, doctisq. adnotationibus illustratus in lucem exiret; tamen antiqui alicuius scriptoris testimonio illius auctoritas hactenus a nullo confirmari ualuit. & dignum esset admiratione, Galenum uocabula Hippocratis explicaturum, in proœmio cæteros eorundem interpretes Bacchium, Herophilum, Dioscoridem iuniorem me-

morantem

morantem, Erotianum negligere. neque enim igno ratum ab eo, si extabat, credibile est; præsertim Andromacho dedicato eius uolumine, quæ magna erat occasio, ut in uulgus ederetur; archiatro scilicet Andromacho laudis cupido; ut facile quiuis credat ex sola archiatri appellatione, quam primus usurpasse uisus est. quapropter existimo etiam quod habetur in ipsa exegesi Galeni in uoce κάμμορον, *nihil conferre ad Erotiani auctoritatem comprobandam, etsi exemplar aliquod sit, in quo Erotianus legitur. quoniam exemplaria inter se mirum in modum differunt. neque in ipso uolumine, quod sub Erotiani nomine habemus, illud extat, quod eo loco Galenus Erotiano tribuit; quãobrem probarem ea magis, in quibus Herophilus legitur, cuius etiam in proœmio meminerat, quam in quibus Erotinon, uel Erotinus, ignota nomina, similiter quam Erotiauus. Itaque ueritus sum ne recentior aliquis temporum ignarus falso titulo, & simulata dedicatione librum hunc ediderit, ut opinione uetustatis auctoritatem ei compararet. quod multis accidisse manifestissimum est. acciditq. (ut afferam exemplum, quod a re nostra alienum non est) uolumini cuidam nondum uulgato (quod sciam) quod in Vaticana bibliotheca seruatur Græce scriptum, in duos diuisum libros, in quibus curatio morborum a capite ad pedes per simplicia medicamenta explicata est. cuius est index, Pedacij Dioscoridis Anazarbei de simplicibus medicamentis. & est idem fortasse, quod a quibusdam scriptum est extare in bibliotheca quadam Augustæ Vindelicorum. Dioscoridi autem falso adscriptum esse ipsa*

dedicatio

tio declarat: nam Andromacho mitti ſimulatur. ſic enim neceſſe eſſet, Dioſcoridem quoque circa Neronis tempora fuiſſe, quod nec cum Suidæ hiſtoria cõuenit, neque cum cęteris, quę de Dioſcoride ante dicebamus.


FINIS.

MAR-

MARSILII CAGNATI VERONENSIS

DOCTORIS MEDICI, & Philosophi, variarum obseruationum

LIBER TERTIVS.



GALENI LOCVS DE CHONDRO dro perpenditur, & Plinij de Alica notatur, Cap. 1.

GALENVS primo commentario in librum de victu acutorũ eos, qui dixerant Chondrum Hippocratis temporibus nõ exstitisse, duplici confutauit auctoritate, vna ipsius Hippocratis, veterum altera comicorum. Vno autem Hippocratis loco fuit contentus ex libro περὶ διαίτης ὑγιῆς *quem ego, quanta potui diligentia, reperire nõ potui. aduerti quidem libro secundo* περὶ διαίτης, *chondri mentionẽ esse factam,* Σεμίδαλις, καὶ χόνδρος ἑφθὸς ἰσχυρά. *& libro* περὶ διαίτης ὀξέων, καί κέγχρους καὶ χόνδρον ἑφθὸν ἐν γάλακτι. *quapropter aut in Galeni oratione vox est eradenda* ὑγιεινῆς; *nam tres illi* περὶ διαίτης *libri, in quorum altero fit chondri mentio,*

nusquam inscribuntur περὶ διαίτης ὑγιεινῆς. cūque tres existant, non esset vsus Galenus singulari numero, perinde atque vnus foret, cum alias præter hosce liber sit vnus Hippocratis περὶ διαίτης ὑγιεινῆς, aut ei excidit τὸ ὀξέων cum in animo haberet τὸ ὑγιεινῆς, in quo facta est chondri mentio, vt dictum est, & liber est vnus ab auctore editus, licet Galenus in quatuor distinxerit, Græca enim exemplaria carent ea diuisione, & medici veteres pro vno accipiunt, & cæteri similiter auctores, qui de illo aliquid dixerunt, vt Plinius, & Athenæus. & Galenus ipse tamquam vnum vbique citat. in ea igitur oratione, in qua Galenus ait, Hippocratem Chondri meminisse in libro περὶ διαίτης ὑγιεινῆς, hæc vox ὑγιεινῆς, importune posita est.

Ad confirmandum Galeni sententiam contra eos, qui negabat, chondrum Hippocratis temporibus fuisse; hęc collegeram. libro περὶ παθῶν Hippocrates inquit, ῥοφήματα δ' ἐν τῇσι νούσοισιν ἁπάσι διδόναι, ἢ πτισάνην, ἢ κέγχρον, ἢ ἄλητον, ἢ χόνδρον. & paulo post. χόνδρον δὲ ὡς ἰσχυρότατον πάντων. & inferius. διδόναι χόνδρον, ἢ πτισάνην πυρίνην. libro secundo περὶ γυναικείων. χόνδρος ῥοφητός.

Quod vero Galenus antiquos comicos citauerit, relatum credo ad Aristophanem Hippocrati æqualem, cuius locum Athenæus attulit in fine libri tertij, χόνδρον δὲ εἴρηκε τὸ ῥόφημα ἀριστοφάνης ἐν δαιταλεῦσιν οὕτως, εἰ χόνδρον ἑψῶν, εἶτα μύαν ἐμβαλὼν ἐδίδου ῥοφεῖν ἄν. hæc ille. sed meminit chondri Aristophanes etiam ἀχαρνεῦσι,

ἢ χοι-

ἢ χοιρίδιον, ἢ σκόροδον, ἢ χόνδρους ἁλός. *at alius hoc loco sensus est: quia pro re frumentacea hic non accipitur* χόνδρος, *sed vt generatim significat granum, aut frustum grani magnitudine. nam quod quidam interpretantur* χόνδρους ἁλός, *ostrea maris, & si non repugnat rei, quam nunc agimus. probari tamen non debet: quoniam senex ille Aristophaneus de rebus minimis loquitur plebeculæ congruentibus, qualia non sunt ostrea. talia sunt autem salis frusta, atque allium. Græcusque interpres non est veritus* ἁλὸς *salem interpretari. nec quia* χόνδρος *cartilaginem quoque significet, ideo referri potest ad ostrea: nanq; alia est testæ natura, qua ostrea teguntur, alia cartilaginis, quam intus habet Raia, Pastinaca, & huiusmodi. sed eodem sensu, quo Aristophanes dixit* χόνδρους ἁλός, *dictum est ab Hippote lib. 2. de diæta* κέγχρων χόνδροι. *grana Milij.*

Quod rursus Athenæus probat ex Aristophane chondrum accipi pro sorbitione quadam; hoc Hippocratis etiam testimonio, quod retuli ex libro περὶ παθῶν, *clare intelligitur. Quem uero Galenus intellexerit negauiße, Hippocratis tempore chondrum extitiſſe, magnæ profecto videtur & affirmare audaciæ, & quærere curiositatis. habeo tamen auctorem vnum. nam si* χόνδρος *recte Alica Romanis esse dicitur, in eo errore, quem Galenus damnat, Plinius deprehenditur, qui lib. 22. ca. 25. Alica, inquit, res Romana est, & nō pridē excogitata, alioqui non ptisanæ potius laudes scripsißēt Grçci. nōdū arbitror Pōpeij*

Magni ætate in vsu fuisse, & ideo vix quicquam de ea scriptum ab Asclepiadis schola hęc ait. itaque est necesse, vel Plinium deceptum esse; namq; ostendimus, Alicam multo fuisse antiquiorem; & Gręcis eisdem, qui de ptisana locuti sunt, probe cognitam. vel χόνδρον *non esse latine Alicam. vtrũ ex his verum sit, viri docti iudicabunt. Si illa Dioscoridis lib. 2.* χόνδρος γίνεται ἐκ τῆς ζέας, *& Plinij lib. 18. c 11. Alica fit ex zea, sunt eodem ex fonte, visus est Plinius de vetustate Alicæ minus bene sensisse.*

Cum vero Hippocrates Chondri seorsum & Zeę mentionem fecerit lib. 2. de morbis muliebri, vtrum & ipse intellexerit, ex Zea chondrum fieri, non significauit: his tamen apparet, tum zeam, tum chondrum Hippocratis temporibus extitisse.

De quorundam bibacitate. Budęi locus de congio notatus. Cap. II.

Diotimus Atheniensis plurimum bibendo famam vt alij multi, adeptus est. Cognomen ei fuit χώνη, *quod mensurę nomen fuisse apud huiusce historiæ auctores Aelianum lib. 2. var. hist. & Athenęum libro decimo ex Polemone, legimus. cognominis caussa, quod mensuram eam totam vno haustu, & sine intermißione bibendo exhauriebat. quantum autem ea caperet mensura non constat, quo poßit intelligi an Romanorum vllus hanc Gręcis palmam abstulerit. etenim Nouellio Torquato Proconsuli cognomen a tribus congijs fuisse Plinius testatur: quoniam eos vno impe*

tu bibit

tu bibit spectante Tiberio, optima fide non respirando dum biberet. quo regem Alexandrum superauerit, & Proteam Macedonem: quorum certamen Athenęus memorauit, binosq; vno potu congios hausisse dixit. Maximinus Ro. Imp. in hoc ordine locari potest, nisi quod quantum vno spiritu hauserit traditum non est, sed Iulius Capitolinus scribit, vno die sępe vini Capitolinã amphoram bibisse. quę mensura octo congios capiebat. Diotimi gloriam æquauerunt duo Rhodij, parto a vini mensura, quam potabant, cognomine, Xenagoras; quem ἀμφόρεα vocatum Aelianus auctor est lib. var. hist. 12. & Xenarchus, quē μετρητὴν nuncupatum Athenęus scribit lib. 10. Metreta vero aut exæquat amphoram, aut bicongio superat. Milocrotoniata, vt legitur eodē lib. Athenęi, tres vini congios vna cęna hauriebat, qua libras viginti carnis, & panis totidem deuorauerat. Budæus existimauit congium in exēplo Alexandri, qui vno haustu duos biberet, & in hoc Milonis, qui vna cæna tres absumeret, eundem non fuisse. oportet enim, inquit, eam mensuram liquidi congruere cum pondere aridi pulmentarij, & & panificij. quę Budęi ratio esset probanda, si constaret, eos bonę valetudinis, non autem voluptatis rationem habuisse. Et quoniam aliud est bibacem esse & edacem (vt omittamus interim rarissima quędam exempla nunquam bibentium) non mirum, quod Alexander bibax vltra cibi mensuram potauerit; quod multi faciunt; quodque Milo edax plus cibi, quam potionis, absumserit; qui cum aliquando taurum quadrimum die integrum deuorauerit,

uerit, Deus bone, quantum ei bibendum fuit; vt cum potionis mensura cibi pondus congrueret? sed edacem simul esse ac bibacem rarum est. Hippocrates lib. de aere, locis, & aquis, ὄυ γὰρ οἷόν τε ἅμα πολυβόρους τε εἶναι καὶ πολυπότας. scilicet hoc est in plurimis. qui vtrumque insigniter possint rarissimi sunt, ac pro miraculo habentur. talis fuit Maximinus, qui vini amphorā bibebat, carnisque libras quadraginta, & vt alij scripserunt, sexaginta comedebat. sed monstrum hoc est existimandum: itaque non est, cur putemus varie acceptum congium in Alexandri exēplo, atque Milonis.

De libro Galeni, qui inscribitur, Prognostica de decubitu ex mathematica scientia. Cap. III.

Liber Hermeti Trismegisto adscriptus hoc indice, Iatro mathematica, quē nos habemus ex Io. Stadij interpretatione; cuius est scopus, praedictiones medicae & curationes, vt ex siderū positu sumātur, docere; hic, inquā, paucis, quae initio legūtur, exceptis, magna est illius libri pars, qui sub Galeni nomine editur, & inscribitur, Prognostica de decubitu ex mathematica sciencia. in quo etiam plura continentur, quam in eo, qui Hermetis nomine, vulgatus est, vt cuique ex collatione exemplarium intelligere promtum est. hoc autem paucis admonuisse, tum medicis, tum mathematicis iucundum futurum sperabā, praesertim, quod qui Galeni libris expoliendis insudarunt, eos nullam rei huius mentionem fecisse videram.

Alexandri Tralliani locus emendatur lib. 8. cap. περὶ γονοῤῥοίας. Cap. III.

AGens de seminis profluuio Alexāder Trall. vnum habet, in quo sic offendi, vt illud castigari penitus debere persuasum sit mihi, inquit, ἐπὶ μὲν οὖν τῆς ὑπὸ πλήθους γινομένης γονοῤῥοίας πάντων ἀπέχεσθαι σπουδάζειν τῶν πολλῶν τροφῶν, καὶ μάλιστα τῶν γεννόντων χολὴν, καὶ πλείονα πνεύματα, καὶ ἐρεθιζόντων τὴν ὕλην προπετέστερον φέρεσθαι πρὸς τὰ ἐκτός. *in quibus verbis dictio* χολὴν *congruum non habet locum, & si & in græcis, & in latinis codicibus legitur, & ab vllo ex ijs, qui castigationes in eum auctorem lucubrarunt, animaduersa non est. quę me mouet ratio, hæc est. a duabus Alex. caussis dicit fieri seminis profluuium, videlicet a copia seminis, quæ contineri non potest, & ab acrimonia, tenuitateque seminis, quod semen* χολωδέστερον *vocat, &* δριμύτερον. *cum igitur in propositis verbis curationem instituat eius morbi, quem copia seminis facit, quorsum meminit bilis, quæ locum debet habere in alterius caussæ explicatione, quando scilicet biliosum, & acre semen ab eodē dicitur? hic enim subducenda copia est, cauendū ab his, quæ semini generādo idonea sunt. hoc postulat recta curandi ratio, sicut altera ex parte in fine capitis in curatione adhibēda morbo, quem acrimonia, & tenuitas seminis peperit, admonet, illa esse vsurpanda, quę refrigerent semē, & crassefaciant. quippe contraria contrarijs.*

in priori ergo caussa vitanda sunt quę semen procreant, non quæ biliosum efficiunt: hoc enim ad posteriorem caussam pertinet. Si igitur legamus non χολὴν*, sed, vt arbitror Alexandrum scripsisse,* γονὴν*, I. genituram, semenue; sententia erit optima, cui reliqua consentient; nam eorum, quæ dicit cauenda esse; quia producunt (vt legitur nunc)* χολὴν*; admonet alia cibos esse, alia vero pharmaca. cibi,* ἐν μὲν τροφαῖς *inquit, sunt pineę, fabæ, ciceres, bulbi, eruca, rapum, & maxime horum semina. atqui hi cibi non bilem procreant, sed tum flatus, tum genituram. in pharmacis vero perspicue dicit, cauendum ab his esse, quę* σπέρμα *generant, &* γονὴν*. & vtendum his esse, quæ semen,* γονὴν*, inquit, arefaciunt. & vsurpat hæc verba,* ὅσα ἐν φαρμάκοις γεννᾷ σπέρματα*. & paulo post,* ὅσα ξηραίνει τὴν γονὴν*, &* τὴν γονὴν τίκτεσθαι*, rursus* ξηραίνει τὴν γονὴν*, &* ἐπέχει τὸ σπέρμα*: concludit autem tam cibis, quam pharmacis, vbi copia seminis est, et retineri non potest, vtendum esse, quæ frigefaciant, & siccent, fugiendum vero ab inflantibus, & calfacientibus, vt omnino velit parem esse rationem ciborum, & medicaminum. quia igitur in medicaminibus non de bile loquitur, sed de semine & genitura, & dicit, quod importune mutaretur in* χολὴν*; idcirco in cibis similiter importuna existimanda est bilis mentio, & eius loco genitura est reponenda nec est aliter sentiendum ob illa verba* καὶ ἐρεθιζόντων τὴν ὕλην προπετέστερον φέρεσθαι πρὸς τὰ ἐκτὸς*, tanquam illa, quæ materiam prôte mouent ad externa corporis, eadem bilem producant; nam hęc ipsa*

quæ

quæ materiam ad externa pellunt, Galenus lib. 5. simpliciũ (quo ex loco Alexander plurima trãstulit) testatus est semen prouocare, vbi docet alia generare semen, & e contra alia corrumpere, rursus alia prouocare, & cõtra alia cohibere. quod Alexander respiciens dixit, ab vtroq; genere cauendum, tum quod generat semẽ, τῶν γεννόντων γονὴν, tum quod prouocat, ἐρεθιζόντων πρὸς τὰ ἐκτός. quapropter loco proposito γονὴν (etiam Galenici loci collatione) aptißime legemus.

De historia philosophica S. Ambrosij locus restituitur. Cap. V.

S*Anctus Ambrosius libri de Noe, & arca cap. 25. ideo, inquit, in principio. S. Moyses informauit nos atq; instruxit de insufflatione animę, vt non laberemur opinionibus diuersis philosophorum, qui sibi constare non possunt, plerique enim varia senserunt, vt Tricias, & eius discipuli, sanguinem esse animam dicentes: istam vtique animam qua viuimus, quæ es sensibilis: non illam animam, quę rationabilis, et intelligibilis interioris hominis ęstimatur. Hippocrates autem, etsi nõ Triciæ improbauit ingenium, nec disputationem eius redarguit, tamẽ sentẽtiæ nõ acquieuit. primũ enim, vnde hic exiuit Tricias vocatus? deinde, vnde habuere Hippocratem de anima aliter sensisse, quam Triciam? ex Hippocratis profecto libris nihil, quod huc pertineat, colligi potest. nec alius quispiam ex antiquis dixit, quam de anima sententiam Hippocrates habuerit. Triciæ autem vocabulum*

bulum corruptum est.integra loci huius lectio intelligitur ex primo libro Aristotelis de anima tex.32.vbi scribit, Critiam existimasse animam esse sanguinem,& Hipponem hanc sententiam redarguisse,cum dixerit aquam esse animam. hæc Aristoteles. quę ita conueniunt cum Ambrosij oratione,vt ab hoc Aristotelis loco Ambrosium hæc sumpsisse penitus credam. igitur in Ambrosiana oratione κατὰ ἀναγραμματισμὸν Critias euasit in Tricias: itaque legendum Critias,& pro Hippocrates restituendum est Hippon. quod nomen fortasse aliqui & in historia,& in Hippocratis libris minus versati,existimarunt in Aristotelis verbis concisum esse, vt paucis litteris (quod breuitatis caussa sæpe fit) significaretur Hippocrates. tamen integra vox est, & nomen antiqui philosophi, quem idem Aristoteles libro primo metaphys. propter eius animi simplicitatē notauit, & Crates comædiæ poeta, vetustissimus ita sugillauit,vti Socratem Aristophanes Nebulis sugillasse putatur, vt legitur apud Græcum dictæ Aristophanis comediæ interpretem.nec vnquam Aristoteles appellasset Hippocratem ridiculum,seu molestum,aut alia simili appellatione (habet enim de Hippone loquens græce φορτικωτέρων) quem in omni philosophia, nomine tamen suppresso,imitatus vbique reperitur.est autē consentaneum Hipponis huius decretis dicere,animam esse aquam: quia rerum principia dicebat esse ignem & aquam, vt auctor est Sextus(quem dicunt Empiricum)libro, qui inscribitur octauus de philosophia: & Galenus libro de historia philoso-

losophica;a quibus habemus etiam fuisse Rheginum. Sed & Aristoteles primo lib. metaph. mentionem eius facit proxime post Thaletem illius sententiæ auctorem, aquam esse rerum omnium principium. propterea vt Hipponi Aristoteles tribuit hanc opinionem, animam esse ex aqua, non autem Hippocrati, sic in Ambrosio Hipponē non autem Hippocratem legendum existimo.

De Sexto, quem empiricum aliqui uocant. Cap. VI.

Sextus ille; cuius duo sunt edita volumina, quorum vni est index aduersus mathematicos, alteri Pyrrhoniarum hypotyposeon; philosophus Pyrrhonius fuit, ut scripta eius ostēdunt, in quibus Pyrrhonio more de rebus disserit tam naturalibus, quam de septem disciplinis, quas liberales vulgo appellamus, nihil asserendo, nihil decernendo. quod Laertius quoque docet in vita Pyrrhonis, cum eum nominat inter eos, qui de scepticorum dubitandi modis scripserunt. nominat autem Sextum, Phauorinum, Aenesidemum. cuius Aenesidemi Sextus ipse meminit libro, qui inscribitur de philosophia, vbi disputat, an sit aliquid, quo iudicetur veritas, & affirmat, Aenesidemum decem attulisse modos epoches, & vbi quærit, quot sint non manifestæ rerum differentiæ, citat Aenesidemi librum quartum Pyrrhoneorum, scilicet Pyrrhonius Pyrrhonio gaudet. Fuit etiam arte medicus, nam libri aduersus mathematicos capite 16. inquit, scientię nostræ

Aescu-

Aesculapium auctorem. & libro eodem: de philosophia, eademq; disputatione, an sit aliquid, quo iudicetur veritas, medicos a se commentarios fuisse scriptos testatum reliquit. Non fuiße cognomen eius Empiricum, aliqui probant, quoniam neq; Suidas, neq; Laërtius huiusmodi cognominis meminere. probabã ego, quia libri primi Pyrrhoniarũ cap. 34. quærit, an medica experientia eadẽ sit cum Sceptica philosophia, & statuit, methodicos potius cum Scepsi affinitatem, quam alios quosque medicos habere: cum autem ipse palam scepsim profiteretur, verisimile quoq; fit methodicum potius, quam empiricum ipsum fuisse. tamen è cõtra, libri aduersus mathematicos capite septimo, ait, scriptos a se commentarios empiricos, quamobrem iure aliqui cognomen empirici inditum existiment. Sed dici potest (dum clarius testimonium nobis deest, non quod empiricus fuerit, empiricos libros exarasse, sed quod methodicus placita empiricorum in illis commentarijs ad disquisitionem reuocauerit.

Vixiße illum Alexandriæ crediderim: quia libro, qui de philosophia nonus inscriptus est, de loco differens, exemplum affert Alexandriæ, Gymnasij, scholæ, est autem verisimile rei præ oculis sibi positæ exemplum attulisse, & erat tum Gymnasio, tum schola celebris Alexandria.

Conijcere est etiam (leui tamen coniectura) Galeno posteriorem fuisse: quoniam libro, qui decimus de philosophia inscribitur, definitionem medicinæ eandem, quam libro artis medicę Galenus attulit scientia salubrium, non salubrium, & neu

trorum.

trorum. propterea non dixerim hunc esse Sextum Cherronensem Plutarchi nepotem; quē Iulius Capitolinus in M. Antonino scribit ab ipso M. Antonino auditum esse: quoniam necesse est Cherronensem extitisse ante Galenum; etenim profectus est quidem Galenus Romam sub eodem Marco, sed cum iam natu grandior esset, & Cōmodum filium haberet & bellis externis occuparetur fuitq; Plutarchi nepos Stoicus non Pyrrhonius, vt infra dicam, nec inter medicos habetur. Sextus empiricæ sectæ medicus Galeni testimonio clarus, libro ei adscripto, qui Medicus inscriptus est, seu introductio cap. 4. qui sectam empiricam corroborasse fertur; alius fuit, quam hic, de quo loquimur. hanc quidem puto fuisse caussam, cur Pyrrhonium hūc aliqui Empiricum appellauerint, putātes eundem esse, nec animaduertentes hunc Methodicum potius fuisse, & Galeno posteriorem. quem vero Galenus Sextum curauit, vt narrat libro ad Posthumum, ex his nullum esse, satis mihi persuasum est. non enim Galenus cognomen, & professionem eius omisisset, si aut medicus, aut philosophus extitisset, cum id in aliorum metione, non omiserit.

Suidas vnum memorauit Sextum Cherronensem Plutarchi nepotem, alterum Lybicum, vtrūq; vero secta Pyrrhonium. sed vereor ne de Cherronensi falsus sit: Iulius enim Capitolinus mihi videtur Stoicis illum addicere: namq; in M. Antonino inquit, audiuit & Sextum Cherronæum Plutarchi nepotem, Iunium Rusticum, Claudium Maximum, & Cinnam Catulum Stoicos. itaq; hic vere Pyrrhonius lybicus ille potius, quam Cherronensis

nensis credendus est. Porphyrius lib. Homericarum quæstionum Sexti laudat interpretationem uocis ἀΐδηλον. sed hic fuerit Sextus, an alius, non habeo dicere.

Cum autem ex libris Sexti, qui extāt, nihil de eius religione intelligi possit, assequi etiam non ualemus, an idem fuerit, quem de resurrectione scripsisse auctor est Eusebius lib. 5. hist. eccl. cap. 27. scripsit quidem præter hos, quos habemus, libros scepticos, vt ait, quo loco empiricos se scripsisse memorauit, vt ante retuli: item commentarios de anima, vt ipse scribit libro aduersus mathem. vbi de soni definitione disserit. vbi Pyrrhonios etiam commētaries a se scriptos affirmat. Sed quos eosdem cum scepticis putemus, vt intelliget diligens lector ex cap. 22. aduersus mathematicos, a quibus fortasse quoque non differunt libri de sceptica ratione, quos citat in eadem tractatione, An sit aliquid, quo iudicetur ueritas: quanquā si quis perpendat eum locum, in quo libros de ratione sceptica memorauit, & comparet cum ijs, quæ dicuntur cap. 11. lib. 1. Pyrrhoniar. hypot. suspicabitur facile eosdem esse lib. de sceptica ratione, & pyrrhoniar. hypot. & eandem tractationem esse, atque eam, cuius mentionem facit ipso initio libri primi de philosophia. dicit etiam de elementis a se scriptum paulo post initium lib. qui nonus inscribitur; quem diuinare nequeo, cur non secundū inscripserint, ut debere inscribi ipsa rerum & verborum consequentia demonstrat; tractatio vero de elementis, quantum obseruare valui, in alijs eius libris, quam qui nunc habentur, est perquirenda.

hæc hactenus.

Galeni locus de cepis lib. 12. meth. vt sit intelligendus uulgata lectione retenta. Cap. VII.

DIcebat in duodecimo libro methodi Galenus, quendam a se visum, qui difficultate intestinorum laborantibus medebatur ceparum esu. quas cepas Græce ait vocatas κρόμμυα καρτὰ. quod ceparum genus, quia in alio auctore nullo inuenitur, deprauatæ scripturæ suspicionem induxit. quamobrem viri eruditissimi quidam existimarunt non καρτὰ legendum esse, sed vel κνίδια, vel κρητικὰ vel κοντὰ. quorum ego auctoritate commotus facile ex his aliquam restitutionem admisissem, nisi tantam esse dictarum vocum dissimilitudinem animaduertissem, vt non facilis videretur illarum mutua permutatio; & nullo modo eiusmodi caparum mentionem videri opportunã: quoniam Cnidijs Plinius lib. 19. cap. 6. minime omnium lacrimosum inesse odorem dixit, & Creticarum saporem dulcem esse cum Theophrasto lib. 7. de plantis asseruit; & coctæ in omni genere minus multo acres sunt, quam crudæ: Galenus autem harum esum propter vehementiam dãnabat, & Auicenna lib. 4. fen. 16. tract. 2. cap. 7. locum hunc Galeni imitatus cepe acutum dixit. quamobrem etiam (si similis aliqua mutatio esset probãda) Cypria potius legendum fuisset: quoniam his præcipue lacrimosum odorem esse Plinius asseruit. sed nimia est vocum dissimilitudo. itaque

itaq; cogitabam τὸ κάρτα potuisse vsurparij quari ductum à κάρα quod est caput, ad significandum ceparum genus, quod capitatum fuisse vocatum auctor est Plinius. sed nec id mihi satisfaciebat, cum auctorem huius etymologiæ non haberem, & diuinare opus esset, Græco ne an Romano more Galenus esset locutus. nam Græci non consueuerunt distinguere inter capitatas, & non capitatas, & quamquam Theophrast. lib. eod. 7. dixerit in Creta ceparum esse genus quoddam, carens capite, & Gethium esse quid ἀκέφαλον tamen non dixit alias vocari capitatas. at Romani sic vocabant: quoniam Plinius postquam genera ceparum ex Græcis retulit, subiungit, Apud nos duo prima genera. Vnum condimentarium, quod illi gethium, nostri pallacanam vocant. alterum capitatũ. quibus intelligitur hanc distinctionem, & simul appellationem latinam fuisse non Grecam. itaq; cum Galenus sine vlla admonitione dicat cepas vocatas καρτὰ de Græcis verisimile est locutum esse, alioqui si de Romanis hoc intelligi voluisset, dubio procul admonuisset, quemadmodum cum de Melca loquitur, & de Decocta. Postea vero locum notaui apud Athenæum lib. 9. qui mihi persuasit Galeni lectionem integram esse: docet enim vocabulum κάρτον Græcum esse, & antiquissimũ, quo est vsus Diphilus medicus Aristotelis ætate non multo inferior; & eiusdem vocabuli sententiã esse Galenicæ orationi accommodatam. dicebat, igitur Diphili auctoritate Athenæus, Gastinacæ genus quoddam κάτον vocatum esse, & hac appellatione illud significatum, quod magnitudine, &

crescendi

crescendi facilitate cæteris præstaret. το δὲ κάρ τον καλούμενον, μέγας δ' ἐστι καὶ ἰναυξὴς σαφυλί-νος. *cuius vocabuli paulo post iterum meminit. Quoniã ergo fieri potuit, vt ceparũ genus aliquod esset, qood fortem sicut dicta Pastinaca, cæteris & maius esset, & velocius augesceret, eßet quoque acrius quemadmodum erat pastinacæ illud genus, quod cæteris calidius, et vrinam magis ciere ab eodem auctore dictum est; hoc autem Galeni loco est aptißimum, qui verba facit de vehementissimæ cuiusdam medelæ ratione; propterea illa verba* κρόμμυα τὰ κάρτα καλούμενα *non immutanda existimo, sicuti non sunt ab ipsius Galeni interpretibus immutata.*

Prodigiosi quarundam plantarum exortus. Cap. VIII.

PRodigium erat, vt scribit Theophrastus lib. 2. de causs. plant. plantam sponte aliquam in alia diuersi generis nasci, vt (quod visum est aliquando) Terebinthum in olea, laurum in platano, et quercu. Ficum in lauro Plinius ait natam lib. 17. c. 25. Illud est admirabilius, quod loco eodem Theophrastus, & lib. 9. de animal. hist. Aristoteles asseruit, visam esse virentem hederam in cerui cornibus exortam. Rarum etiam, ac pro portento habitum, quod Plinius eodẽ loco narrauit, Trallibus palmam in basi Cæsaris dictatoris enatam circa bella ciuilia eius. & Romę in Capitolio bello Persei bis palmam exortam, quę victorias, & triumphos portenderit. Sed portenta

O nihil

nihil ad nos. Medicinam in his aliquam (nihil enim intentatum desiderio bonæ valetudinis relinquitur) creditum est esse. idem Plinius lib. 24. cap. 19. scripsit, herbam in capite statuæ natam, collectamq; alicuius in vestis panno, & alligatam in lino russo capitis dolorem confestim sedare, traditum esse. de qua etiam a Marcello in primo capite scriptum est. Herba in capite statuæ cuiuslibet nasci solet. ea decrescente luna sublata, capitiq; circumligata, dolorem tollit: hemicraniæ etiam efficaciter medetur si in panno russo, lino russo ligata capiti vel temporibus alligetur. hæc illi. quorum non immerito consequens esse aliquis existimaret, si qua in pedibus statuarum planta nascitur, eam podagræ, & reliquis pedum morbis remedio esse Eusebius eccles. hist lib. 7. traditum scribit, Cæsareæ Philippi ab ea muliere: quę solo vestis Iesu D. N. tactu a duodecim annorum sanguinis profluuio est liberata, cum naturalia omnia præsidia nequicquam experta esset; statuam ęneam, tanti beneficij monumentum, erexisse alteram, quæ Christi salutem dantis, alteram quæ supplicis mulieris imago esset. iuxta pedes autem virilis imaginis ignotum herbæ genus nasci, & ad vsq; fimbriam excrescere, morbis omnis generis medelā. ne vero deroges miraculo fidem, animaduertes ignotam herbam fuisse, ne mihi Panaceā, vel inanes huiusmodi fabellas obijcias. neq; etiam licet de historiæ veritate dubitare, quam totam, vt apud Eusebium legitur, Sācta Nicena secunda synodus aduersus iconoclastas ex litteris Germani episcopi Constantinpolitani cum approbatione

batione commemorauit.

Ariſtotelis locus illuſtratur dicentis, Aquam marinam comburi Cap. IX.

ARiſtoteles ſect. probl. 13. quaſi compertum haberet, maris aquam comburi, quærebat cur ἡ μὲν θάλαττα καίεται, τὸ δὲ ὕδωρ οὔ. quo loco primum notabamus vocabulorum proprietatem: nam τὸ ὕδωρ, quod de quauis aqua dici debere videtur, ad dulces, & potulentas ſignificandum vſurpatum eſt. deinde, cũ dicitur, Mare comburitur, aqua vero minime, ſcire licet, hoc ita verum eſſe, ſi paulatim mare igni inſpergatur, nam ſi confertim, perinde ac dulcis aqua ignem extinguet. hoc experimentis credatur. Qui rerum naturalium ſtudium cum Græcæ linguæ peritia libenter coniungunt, non ſine voluptate legent, quæ de hac re Dion. lib. 50. Actiacam pugnam deſcribẽs (quamuis dictio huius auctoris doctis quibuſdam minus arrideat) litteris mandauit. cum enim Cæſar proſpiceret, ſe victoriam conſequi ſine ignis auxilio non poſſe, & idcirco milites eius tela ignita, faces ardentes, ollaſq; carbone, & pice refertas in hoſtium naues proiecıſſent, quamobrem flamma in ipſis nauibus multa excitata eſt; milites Antoniani vt hoc periculum euaderent, οὐ μὲν πρῶτον, inquit Dion, τῷ ποτίμῳ ὕδατι, ὃ ἐπεφέροντο, ἐχρῶντο, καὶ τίνα κατέσβεσαν, ἐπεὶ δὲ ἐκεῖνο καταναλώθη, ἤντλουν τὸ θαλάττιον. καὶ εἰ μὲν πολλῷ τε, καὶ ἀθρόῳ αὐτῷ ἐχρῶντο, ἐπεῖχόν πως τῇ βίᾳ τὸ πῦρ. ἀδύνατοι δὲ πανταχῇ τοῦτο ποιεῖν ὄντες (οὔτε γὰρ

πολλὰ ἢ καὶ μεγάλα τὰ ἀντλητήρια εἶχον, καὶ ἡμί-σεα αὐτὰ, ἅτε ταραττόμενοι, ἀνέφερον) οὐχ᾽ ὅσον οὐκ ὠφελοῦντο τι, ἀλλὰ καὶ προσπαρόξυνον αὐτό. ἡ γὰρ ἅλμη ἡ θαλαττία ἂν κατ᾽ ὀλίγον ἐπιχέηται φλογὶ, ἰσχυρῶς αὐτὴν ἐκκαίει. *primum quidem aqua dulci (affero viri docti interpretationem à vulgata diuersam) quam potus gratia comportabant, vtebantur, nonnullaq; ea ratione extinxerunt, vbi vero illa consumpta est, hauriebant aquam marinam: & quà ea multa & abundanti vsi sunt, ignem aquæ vi cohibuerunt. Quum autem non possent vbiq;id præstare: neque enim multa, atque ea ipsa ingentia habebant instrumenta ad aquam hauriendam: vasaque adeo ipsa propter trepidationem semiplena hauriebant: quare non solum nihil proficiebant, sed igneis præterea irritabant. Aqua enim salsa maris, si sensim in flammam infundatur; vehementer ipsam excitat. hæc ille. Ex quibus intelligitur, non esse rem accipiendam, vt Aristoteles dixit, aquam etiam dulcem deuri, sed marinam minus ignem extinguere. namque hoc exemplo constat, marinam aquam reuera flammam excitare, quod proprie est vri; quod enim vritur, vel in carbonem, vel in flammã aut per se, aut iunctum alij vt oleum, & cera, vertitur; vel ex se spiritum, aut fumum, aut fuliginem, aut nidorem emittit, vt ab Aristotele scribitur libro quarto Meteor. quorum ab aqua dulci nullum efficitur. Consumi ea quidem potest igne, & exhauriri, at non hunc in modũ intelligitur vri, τὸ καίεσθαι sed vt ex Aristotele diximus: marina vero, & alioqui sale mista*

vri dicitur, quoniam igne insperſa ſonum, perinde ac ſpiritus ex anguſto erumpentis, excitat, lõge ſecus quam ex dulci contingat. poteſt etiam vtraq; ignem extinguere, ſi aceruatim infundatur igni non ita multo: namq; & oleo ignis extingui poteſt, vt viuentium quoq; calor nimio ſæpe pabulo obruitur. at modo quodam adhibito dulcis ignem vel extinguit, vel non auget, marina vero eadem menſura nedum non extinguit, ſed auget, vt dicto exemplo docemur, quamuis enim milites Antoniani eiſdem, quibus marinam, inſtrumentis, & vaſis dulcem haurirent, hac tamen extinguere poterant, illa non augere flammam non poterant. Nec aliquis dulcem aquam obiiciat, quã fabri carbonibus infundunt. etenim non ea ſed follibus carbo accenditur, aqua id tantum præſtat, vt ob ἀντιπερίστασιν carbo fortius comburat. illud probabilius ab Ariſtotele dictum eſt, marinam aquam uri ob pinguedinem, qua dulcis deſtituitur.

De ludicris Anaxilai ad Irenęi locum illuſtrandum.

Cap. X.

I*Renæus lib. 1. aduerſus hæreſes cap. 4. Marcum quendã dixit magica impoſtura, & Anaxilai ludicris plurimos, maxime vero mulieres decipere conſueuiſſe. Anaxilai igitur ludicra neceſſe eſt ſcire cuiuſmodi fuerint, qui locum illum velit probe intelligere. quod non eſt adeo tritum,*

vt eius mentio superuacanea videri debeat, intelligetur autem ex his, quæ subijciam. Plinius lib. 35. c. 15. de quarto sulphuris genere verba faciens, ludere Anaxilaum solitum significat, & ludi genus exẽplo declarat, lusit, inquiens, & Anaxilaus eo, cadens in calice nouo, prunaq; subdita circunferens, exardescentis repercussu pallorem dirum, velut defunctorum, offundente conuiuijs. lib. 19. c. 1. Anaxilaus auctor est, inquit rursus Plinius, linteo eo (sermo est de lino, quod viuum vocabatur) circundatam arborem, surdis ictibus, & qui non exaudiantur, cędi. quo etiam loco (nam & hoc ad idem ludicri genus pertinet) inquit, ardentes in focis conuiuiorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis splendescentes, igni magis, quam possent aquis. cui non est dissimile quod nostro seculo repertum videtur, aquam ex vino factam; quæ vulgo vitæ, & ab aliquibus ardens vocatur; res ea madentes a concepta flamma, iucundo spectaculo, ne comburantur, efficere. quod tamẽ non cuiuslibet sed eius, quæ optima cõficitur, opus est. De Anaxilao insuper lib. 28. c. 11. Plinius, Equarum virus a coitu ellychnijs accensum, Anaxilaus prodit, equinorum capitum visus repręsentare monstrifice. similiter ex asinis. et lib. 33. c. 10 sæpiæ atramento tanta vis est, vt in lucerna addito Aethiopas videri ablato priori lumine Anaxilaus tradat. quod ludicrum, omisso auctoris nomine, Sextus memorat lib. 1. Pyrrhoniar, præstigiatores lucernas ærugine, & sepiæ atramento vngentes faciunt, vt qui adsunt, modo æris colorem habere, modo nigri esse videantur.

Galeni

Galeni locus restituitur in primo com. in lib. Hipp. de natura humana, vbi de illius libri magnitudine loquitur. Cap. XI.

Est Galeni locus in proœmio commentarij primi in librum Hippocratis de natura humana, non quidem propter rei magnitudinem, sed ob interpretum, vt opinor, negligentiam, notādus. Diuidebat hunc librum Galenus in partes primum duas, deinde in minores particulas multo plures. ita vt (quemadmodum latine ac Græce passim legitur) primam partem ad ducentos & quadraginta versus dicát accedere, εἰς διακοσίους καὶ τεσσαράκοντα στίχους: *totum autem volumen vsque ad sexcentos fere, aut paulominus protendi,* σχεδὸν εἰς ἑξακοσίους στίχους, ἢ βραχύτι ἧττον: *ex quibus colligitur, posteriorem partem priori magnitudine antecellere: quoniam si priori ducentos, & quadraginta assignat versus, toti autem volumini sexcentos, necesse est posteriorem partem esse versuum tercentum & sexaginta. tamen econtra prior pars posteriorem superat. ergo locus iure videtur esse castigandus. ego vero hunc in modum restituißem. Diuisam, in Græcis præsertim codicibus, priorem huius libri partem scimus a Galeno in particulas, quas* στίχους *vocat (versus interpretantur, contextus alij appellant) quadraginta quatuor, posteriorem vero in viginti duas, vt liber totus sex supra sexaginta versus vel contextus contineat. hanc igitur partitionem existimo*

à Galeno ſignificatam. ipſumque ſcripſiſſe illa nõ vt paſſim leguntur, εἰς διακοσίους, καὶ τεσσαράκοντα, ſed εἰς δ' καὶ τεσσαράκοντα vt τὸ δ' eſt nota ad quaternarium ſignificandum a Græcis vſurpata, quã librarius aliquis imperitus ſuo interpretatam arbitratu διακοσίους ſcribendum cenſuit errore maniſeſtiſſimo. poſteriorem partem Galenus in duas & viginti particulas ſecuit, quas ſi coniungas dictis quadraginta quatuor, erunt omnes particulæ ſex & ſexaginta, non autem ſexcentæ. itaq; quod legitur ἑξακοσίους στίχους, ideſt ſexcentos verſus, legendum puto ἑξηκοστοὺς, quod eſt, ſexaginta, quia vero ſunt ſex vltra ſexaginta, ideo Galenus adiecit σχεδὸν, fermè. adiecit quoque, paulominus, (etiam ſi ex eius ſententia rectius ſcriptum eſſet paulo plus) quoniam fortaſſe alij aliter diuidentes, pauciores, quam Galenus, particulas numerabant.

De medullæ in Platonis Timæo appellatione. Cap. XII.

IN ea Timæi parte, in qua Plato morborum naturam percurrit, de medullæ morbis hæc leguntur. τὸ δ' ἔσχατον πάντων, ὅταν ἡ τὸν μυελοῦ φύσις, ἀπ' ἐνδείας, ἤ τινὸς ὑπερβολῆς νοσήσῃ, τὰ μέγιστα, καὶ πρὸς θάνατον τῶν νοσημάτων ἀποτελεῖ. Poſtremum vero eſt omnium, cum medullæ natura ob inopiam, vel ob exſuperantiam aliquam ægrotauerit, maximos & ad mortem efficaciſſimos inducit morbos.

In

In his ergo quæritur, quid, pro medulla intelligendum sit: nam si medulla dorsi accipiatur, aut alia quæuis ex ijs, quæ vulgo medullæ vocantur, hæc Platonis sententia videtur non esse vera. est autem vera, si pro cerebro medulla dicta sit. dixit autem Plato eodem libro cerebrum medullam esse. & Sophocles Trachinijs cerebrum appellauit medullam κόμης δὲ λευκὸν μυελὸν ἐκραίνει μέσον κρατὸς διασπαρέντος, *quasi Plato in hac appellatione antiquitatem retinuerit.*

Sed rem diligentius intuenti videbitur, medullæ nomen proprie a Platone vsurpatum. nam de dorsi medulla sic Hippocrates a *loquitur, vt ex ea doceat grauissime, & difficillime homines ægrotare. scilicet ex fluxione, quæ fit in illa oriri tabem: & illius resiccationem esse morbum grauem:* b *morique hominem si medullam spinæ sauciatus fuerit. demum* c *medulla, inquit, spinæ si ægrotarit, siue ex lapsu, siue ex alia caussa, siue sua sponte, homo & cruribus impotens fit, vt neque si tangatur percipiat; & ventre; ac uesica, vt circa prima tempora, neque stercus, neque urinam egerat, nisi ad necessitatem; cum autem uetustior factus fuerit morbus, non urgente homine, & stercus & urina prodeat. moritur autem postea non multo interposito tempore. Cum igitur hæc grauia sint, possunt omnino Platonis verba de dorsi medulla non inepte sumi.*

a lib. de locis in homine. de glandulis 2. de morbis. de internis affectionibus.

b Coacis prędictionibus.

c Lib. 2. prorret.

De altero vero medullæ genere quid putandum? nonne medulla corpus est obnoxium contrarietati? an nihil est omnino reperitur, à quo lædi

lædi possit, & profecto si lædatur, summum oriri periculum necessum est dici a Platone ob eam rationem, quam ipse secutus est (neq; enim quærendum est nunc quid alij senserint, neq; quid ipse debuerit fortasse dicere, ne aberrasse cōuinceretur, sed quid voluerit, & reliquis a se dictis consentaneum dixerit) dixit enim medullæ ortum ossium principium esse (quamquam in aliam Aristoteles iuerit sententiam) ossa vero, vt [a] Hippocrates *ait, corpori stabilitatem, rectitudinem, & speciem præbent. si ergo principium osium ægrotauerit, speciem ipsam corporis deficere necessarium videtur. Sed non osium dumtaxat Plato, verum etiam carnium, & totius fere corporis naturę principium statuit medullæ generationem: propterea dixit, ex medullæ ægritudine omnem corporis compaginem necessario disipari. quod si non videtur medici alicuius testimonio posse confirmari, quēadmodum id, quod de spinæ medulla dictum est, Hippocratis testimonio cōfirmatum est; non propterea non est verum, illam exstitiße Platonis mentem, quam dixi. ac quærendum erit, vtrum hoc a medicis prætermissum fuerit, quia superuacaneum, vel quia ignoratum, an male de hac re Plato senserit.*

[a] li. de natura ossium.

Neq; existimandum est, apud veteres Græcos sola medullæ appellatione, & sine adiectione vlla, cerebrum intelligi consueuisse. namq; Athenæus lib. 2. dipnos. cum notabat Apollodorum Atheniensem; qui dixerat Græcum cerebri vocabulum ἐγκέφαλον *non reperiri apud antiquos, ac propterea Sophoclem Trachinijs illud vocasse albam medullam; dicebat hoc a Sophocle poetice dictum.*

scilicet,

ſcilicet, vt ego intelligo, tranſlatione vſus eſt, quia vt medulla oſſe, ita cerebrum caluaria clauditur, quæ eſt Ariſtoteli analogia; quem in modum panis quoq; medulla ab aliquibus dicta eſt.

Neq, verũ eſt a cerebri appellatione antiquos abhorruiſſe, quod enim Apollodorus Athenienſis falſus ſit, cum ſcripſit, neminem antiquorum cerebrum nominaſſe, τὸ ἐγκέφαλον, non ſolum Philoclis, & Ariſtophanis conſtat auctoritate, quos ſolos nominauit Athenæus; Sed etiam Homeri, apud quem Iliad. Λ. legitur, ἐγκέφαλος δὲ ἔνδον ἅπας πεπάλακτο. & Π. Νέρθεν ὑπ' ἐγκεφάλοιο.

Plato vero etſi medullæ vocabulo vtitur ad indicandũ cerebri naturã; tamen ex eo non efficitur, quod ſimplici medullæ appellatione cerebrũ intellexerit; immo cũ diſtinguat appellationes, & affirmet, rotundũ illud, quod in capite continetur, vocatum eſſe cerebrũ, & oblongũ illud, quod a reliquis oſſibus cõprehenditur, dictã eſſe medullã; ſatis oſtēdit, diſtinctionē horum nominũ vetuſtiſsimã eſſe, nec debere ſine adiectione aliqua alterum pro altero vſurpari. quamobrem Galenus lib. de vſu partium 8. cap. 4. teſtatus eſt, nonnullos cerebrum appellaſſe quidem medullam, ſed cum adiectione, alij enim dixerunt ἐγκεφαλίτην, ſicuti ῥαχίτην, alij vero ἐγκεφάλου; quamquam rectius dixiſſent κεφαλίτην; aut, κεφαλῆς, aut, ſicut Sophocles dixit, κρατὸς, ideſt capitis. cum igitur Plato ſine adiectione dixit, medullę morbum eſſe periculoſiſsimum, non eſt probabile cerebrum ſpeciatim ab eo ſignificatum. Galenus autem quo loco dixit, cerebri ſubſtantiam vocatum eſſe à Platone

medul-

medullam, addidit, si vere cerebrum esset medulla (nam Galenus [a] *putat illam tantum esse medullam, quæ in alijs ossibus continetur, illam vero, quàm vertebræ circundant, cum sit eiusdem cum cerebro naturæ, diuersi esse generis quam medulla reliqua. quod vero vnquam dixerit idem esse genus cerebri, medullæ dorsi, ac aliorum ossium medullæ, mihi compertum non est) tamen additamento appellationem indigere, si cerebrum indicaturi medullæ nomine vti velimus. & lib. de virib alimentorum 3. cap. 10. medullam spinæ dixit medullam male appellari. Homeri tamen temporibus sic vocabatur: nam lib. Iliadis* ϒ *legitur* Μυελὸς ἄυτε Σπονδυλίων ἔκπαλτο. *sed Galeni sententiam Hippocratis auctoritas comprobauerat, qui libro de carnibus scriptum reliquerat, spinæ medullam; quia cerebro similis est, non autem ossium medullis; non iuste medullæ nomen possidere. quod suadet nequaquam fuisse veterem consuetudinem vocandi cerebrum sine adiectione aliqua medullam. ac Rufum* [b] *Ephesium poetica potius licentia, quam vere medicorum instituto dixisse, medulla intra caluariam contenta cerebrum est.*

[a] Lib. 2. de têper. c. 3. lib. 3. de alim. c. x.

[b] Lib. 1. c. 35. de corporis humani appellationibus.

De vini mixtura Homeri locus & Hippocratis. Cap. XIII.

Vino antiquissimo claritas Maroneo, i Thraciæ maritima parte genito; vt auctor est Homerus. hæc ait Plinius lib. 14. cap. 4. & paulo post, Maroneum, inquit, vicies tanto addito

aquæ

aquæ miſcendum Homerus prodidit. Homeri locus notus eſt ex lib. odyſſ. ι. ἄσκον ἔχον μέλανος οἴνοιο ἡδέος, ὅν μοι ἔδωκε μάρον Εὐάνθεος υἱός. & paulo poſt, τὸν δ' ὅτι πίνοιεν μελιηδέα οἶνον ἐρυθρὸν Ἓν δέπας ἐμπλήσας, ὕδατος ἀνὰ εἴκοσι μέτρα χέυε. quæ tanquam a poeta dicta fabuloſa etiam Plinio videri potuiſſent, niſi Mutiani ter Cos. teſtimoniũ ille habuiſſet, qui tanto poſt Troiana tempora in eo tractu præſens comperit, ſextarios vini ſingulos octonis aquæ miſceri. cum ſcilicet illius terræ vigor, qui tot ſeculis exhauriri penitus debuiſſet, adhuc magna in parte durans, Homericam narrationem probabilẽ eſſe ſuaderet. nobis ea credibilis viſa eſt potiſſimum, vbi libro, qui nunc tertius de morbis inſcribitur, legimus apud Hippocratem vinum Thaſium miſceri cũ aquæ partibus vigintiquinque. nec magni æſtimo, quod aliquis exiſtimare poſſet mixturam eam propoſitam ab Hippocrate, vt ægri, quemadmodum alicubi Galenus dicit, tantum viderent vinũ non biberent, eſſe. ſ Hippocrati ſermonẽ de potionibus frigefactorijs, tantũ itaq; voluiſſe aquæ vino miſceri, vt omnis vini ad calefaciendũ vis penitus extingueretur. hoc, inquã, non moueor ad credendum vim illius vini tantæ aquæ tẽperatione oĩno defeciſſe, et indulgentia quadã non bono conſilio vinũ additum: quoniã abſq; ratione Thaſii ſpeciatim mentionẽ eſſe factã exiſtimandum non eſt, niſi etiã fruſtra dixeris ſuperius vina alba aquoſa ex vuis paſſis propoſita, & demum fruſtra & ſine cõſilio neceſſario omnia ab Hip. dicta cõtenderis, eſt autem maxime credibile Thaſiũ vinũ aquã plurimã ſuſtinuiſſe, quoniã

inter

inter generosa vina ab omnibus recensetur. in summa gloria fuere Thasiũ, Chiumq; Plinius lib. eod. c. 7 Sed par est existimare huiusce generositatis pleraq; ex Græcis vina exstitisse; quandoquidem bibi vix poterant, nisi pari saltem aquæ portione diluerentur: vnde illud tam vulgatum ἴσος ἴσῳ. quod Græcus interpres Aristophanis Pluto asseruit, meracius fuisse temperamentum; quo tanta in vino facultas relinquebatur, vt furorem quoque inducere Mnesitheus dixerit referente Athenęo lib. 2. ἐὰν δ' ἴσον ἴσῳ προσφέρῃς μανίαν ποιεῖ. argumento, potentissima Gręcorum vina plus, quam credi possit, aquæ sustinuisse.

De Scribonio medicinę auctore. Cap. XIIII.

GAlenus aliquot ex Scribonio Largo medicamenta descripsit, in quibus, & de Scribonio ipso quid a me notatum sit, vetustiorum auctorum studiosis indicandum propono. lib. 3. κατὰ τόπους Galenus narium tradit ex Scribonio remedium; in quo sunt duo notanda. vnum est, in Galeno legi χαλκάνθης, quod interpretantur, atramenti sutorij, cum legi ex libro Scribonij de medicamentis debeat (in quo flos æris scriptum est) χάλκου ἄνθους. quæ ab atramento res est diuersa. et Marcellus idem pharmacum e Scribonio, vt pleraq; transcribens cap. 10. æs vstum scripsit, non autem atramentũ. & licet ęs vstum sit aliud, quam flos æris, hoc est tamen argumento veram Scribonij lectionem non esse, atramentum: vt de-

buerit Galenus dicere χαλκάνθης, vel χαλκάνθου; idest, æris flos, aut æs vstum. puto autē, quod æris flos sit vera lectio: nam etiam Dioscorides lib. 5. testatur. florem æris carnosa narium vitia consumere. talis autem est Polypus, de quo Scribonius loquitur.

Alterum est, quod visum est notatu dignum, Galeni verbis confundi Scribonij sententiam: nā quod ait Gal. oportere præcedenti die quiescere &c. tanquam id ad narium tumorem, qui polypus dicitur, pertineat, de quo Scribonius scribit in cōposit. LI. cum id ipse de grauedine dixerit in comp. LII. quamobrem facile aliquis existimaret, Galenum minus, quam necesse fuerit, latinam linguam nouisse. atq; huius loci interpretationem ab aliquo qui Scriboniū nō bene perceperit, accepisse.

Lib. 4. κατὰ τόπους in remedijs oculorum ex libris Scribonij Largi ait se referre Psittacinum, quæ est in Scribonij volumine compositio XXVII. quos locos si conferas, intelliges quantum intersit de fonte haurire: si quidem viri etiam magni minus plene, quam par est, aliorum dicta sæpe vel externi sermonis ignoratione; vel trāscribendi tædio referunt. pleniorem inuenies Scribonij, quam Galeni orationem. & illud non bene conuenire inter eos, quod Galenus in tenui lacrima commodare potissimum hoc medicamentum scribit, cum de oculis sanguine suffusis ille verba fecerit. Pondus etiam medicamentorū diuersum reperies, eandem tamen ponderis rationem. Galenum insuper referentem, quæ medicamento recipiuntur, ordinem immutasse: quod ex sententia Scribonij non cecidit, qui

dit, qui eodem ordine, quo scripsit, terenda monuit medicamenta, ac postremo amylum adijciendum. Galenus præterea adiecit, æstate, cuius rationem non videbam: ac fortasse, quod Græce apud ipsum est θέρει, melius verteretur, calefacit, ὅπου, inquit, πολλὴ αἵματος παρέγχυσις θέρει. idest (ad verbum) vbi multa sanguinis suffusio calefacit. seu (si magis placeat) inflammat. sed calefactionis, aut æstatis mentio, nihil ad Scribonium.

Non multo post Galenus, ex libris, inquit, Scribonij Largi Asclepios Machaonis ad veteres affectiones, & oculos suppuratos. & subiungit medicamenti formam, quæ est in Scribonio xxvi. quas si contuleris, cernes in ponderum ratione nō magnopere inter se differre. Sed Scribonium probare pharmacum in cicatricibus oculorum non veteribus, at recentibus, contra quam Galenus, qui dixit in veteribus affectionibus. quod in medicina facienda non est leuissimi ponderis: quoniam sæpe alia vetusti, quam recentes morbi, remedia postulant. Lib. 7. κατὰ τόπους hæc habet, quæ ad verbum transcribam singula, vt quid notauerim dilucidius explicem. Alia, inquit, Scribonij Largi Hyppoglossis, facit ad vocem interceptā. Croci, terebinthinę, singulorum drachmas octodecim iridis Illiricæ drac. sedecim. tragacanthę drach. 8. Piperis grana cccl x. excipe melle cocto, & terebinthina simul cocta: vtere sub lingua nucis pōticæ magnitudine. Alia Scribonij Largi hyppoglossis, facit ad vocem interceptā. Glycyrrhizæ drac. octo, myrrhæ drach. vigintiquatuor. terebinthinę drac. triginta duas. tragacanthæ drac. triginta

octo. arida per se sola tundito, ac cribrato: resinã autem in pilam coniectam tundito, arida ad ipsam inspergendo: deinde ex vnitis omnibus pastillos formato fabæ magnitudine ægyptiæ, quos in vmbra siccato: atque vsus tempore vnum, aut duos sub lingua tenendos dato, ac liquescentes deuorandos. oportet autem hoc pharmacum confestim in pastillos conformare. quo tempore igitur pastillos cogis, eodem etiam tundes, resiccantur enim cito: & ob id pastillos ex eo formantem ad manum simul tundere oportet. ita legitur in quibusdam Galeni exemplaribus: in alijs vero prior descriptio non exstat, nec etiam mihi in ipso Scribonio vsquam occurrit. posterior in omnibus Galeni reperitur, & est in Scribonij volumine. LXXV. licet aliqui existimauerint deesse compositionem, quam Scribonius pollicetur in quorundam simplicium medicaminum enumeratione aduersus eundem morbum sub nota numeri LXXII. & hanc ex lib. 7. κατὰ τόπους, *quam posteriori loco ante scripsimus, reponendam censuerunt. at diligenter animaduertenti videbitur, nec illam, quam Scribonius pollicetur, deeße, legitur enim sub numero LXXIII. & alteram frustra repositam esse: quoniam exstat sub nota LXXV. nec pigebit rem totam exponere. inquit Scribonius Ad tumorem & raucitatem, arteriæ, & vocis abscissionem. LXXII. Ad arteriam, exasperatam simplicia quidem hæc faciunt: commis Alexandrina, vel Tragacanthum per se sub lingua retentum. hæc de simplicibus, subiungit composita, & inquit, compositio autem hæc est.*

LXXIII. *Ad tumorem arteriæ, papaueris ſyl uatici iam maturi, viridis tamen adhuc, capita quamplurima vaſe fictili conijciuntur, aquaque ſuperfunduntur, vt ſupernatet duobus, tribuſue digitis. Hæc vbi triduo macerata fuerint, eodem vaſe coquuntur donec demadeſcant, poſtea exprimuntur capita, omniſque aqua percolatę prius diligenter menſura capitur, ad cuius modum mellis attici quarta pars miſcetur: deinde per duplex vas coquitur, donec mellis habeat ſpiſſitudinem.* hæc ait, nec dubitandum quin hęc ſit quædam medicamentorum mixtura. quod vero inter hanc, & dictam ſimplicium enumerationem ſub notis, LXXII. nihil ſit interponendum (& ſi aliqui id putarunt, & ibi notarunt hæc verba, Deeſt compoſitio. quæ ſunt prorſus delenda, nihil enim deeſt) Marcellus ſuadet, qui eadem refert eodem, quo hic ſcripta ſunt, modo, nec vllam mendæ cuiuſquam in hoc Scribonij loco ſuſpicionem vel leuiſſimam præbet. ſuperfluum vero eſſe, deſcriptionem ex Galeno alteram interponere, etiam patet, quoniam ſub numero LXXV. ſic legitur, *Arteriace, qua melior non eſt, refertur autem ab Aſclepiade noſtro, facit ad omnia ſuperius dicta efficacius, & quicquid in arteria vitij eſt. conſtat ex his. Myrrhæ optimæ pinguis. X. P. XXIIII. Tragacanthi candidi. X. P. XXVIII. Glycyrrhizæ. X. P. XVIII. reſinæ terebenthinæ veræ. X. P. XVIII. Tragacanthum ſicut eſt contundere, & per cribrum tenuibus foraminibus eijcere oportet. deinde myrrham tritam ſeorſum admiſcere, & rurſus vtraque in vnum diu terere,*

atq; ita in pilam conijcere; & ibi cum concaluerint, ictu pili terebinthinam paulatim miscere, donec omnium vnitas fiat. postea glycyrrhizam cõtusam, & cribratam, mortarioq; nihilominus tritam sensim aspergere oportet. vbi hæc bene mixta fuerint, dum calet medicamentum, plures accedant, & pilulas faciant magnitudine fabę. fit enim durissima hæc arteriace. & hoc ipso pręcedit cæteras, quia linguę subiecta non facile soluitur, & ita diutius exhibet suum effectum. hæc hactenus. hæc igitur est ipsissima, quam Galenus describit, compositio, quam illi deesse putarunt, & inter C X. & C X I. reposuerunt, omnino delendam. pondus autem medicamentorum, non est mirum, dum in varia transfertur volumina, immutatum esse. atq; apud Marcellum, qui c. 14. eandem ad verbum describit, pondera parum mutata inueniuntur. sed de re tam tenui nimis multa, reliqua perstringam breuiter.

Galenus lib. 9. κατὰ τόπους *de colicis pharmacis scribens, ex Scribonio illud habet, cornu cerui teneri, vsti, cineris heminam: piperis albi, myrrhę, vtriusque drachmas (alij vncias legunt) duas. ex tritis cochlearium vnum exhibeto. & cochleam vnam crudam tritam cum vini cyathis duobus, & aqua calida. hæc ille. Scribonius cõp. CXXII. de hoc medicamento cecinit admiranda, quæ cuique legere in promptu est. Libro eodem Galenus ex Paccio Antiocho pharmacum describit tamquam aliud ab hoc, quod Scribonio tribuit; tamen ipsa locorum collatio idem esse perspicue demonstrat. Cum autẽ Scribonius profiteatur*

hoc se ab Africana muliere didicisse; non est facile statuere, an id Paccio recte sit a Galeno adscriptũ: siquidem Paccius ætate Scribonium superauerit: & ab eo, sicut alia se sumere Scribonius fatetur, vt hieram, & quoddam emplastrum, ita & hoc, vt Galenus, sumere minore impẽsa potuisset, scribit enim ab Africana, dato pretio, illud se recepisse, quæ multos eo remedio Romæ sanauerat.

Lib. 7. κατὰ γένη *Galenus inter digerentia emplastrum retulit, quod a Scribonio describitur sub notis CCXIIII.*

Pręter hęc Galenus alia quoq; ex Scribonio recẽsuit, quæ nõ memoramus, quod in Scribonij libro, qui extat, non leguntur, vt conferri potuerint.

Ex his autem potissimum accipio, non esse negligendam Scribonij lectionem, cum quia Galenus toties eius mentionem fecit, & plura, quam hic notauerim, medicamina ex eo desampserit: tum quia in Scribonio cumulatiora ea, quæ Galenus sumpsit, reperiuntur.

Galenum aliqui opinantur hęc non ex ipsis Scribonij voluminibus, sed ex Andromacho, & Asclepiade sumpsisse, qui Scribonij pharmaca in sua volumina transtulerant. hoc autem quamuis affirmare necessarium non sit, tamen de Andromacho credi posset, quippe qui Neroni medicinam faciens tempora excepit Scribonij, qui sub Claudio atque ante vixerat. de Asclepiade vero nequaquam dicendum est. is enim Magni Pompeij temporibus floruit, vt auctor est Plinius, & ex Cicerone colligitur, qui primo de Oratore Crassum facit loquentem de Asclepiade, & innuentem iam

antea fatis concessisse, scilicet ante centum circiter annos, quam Scribonius floreret. nam sermonem, quem Cicero eo libro commentus est, referri constat in Philippi Cos. annum, a cuius consulatu ad Claudium Principem, sub quo Scribonius fertur viguisse, anni ferè centum intercessere. itaque non Asclepiades Scribonium, sed è conuerso Asclepiadem Scribonius referre valuit, quemadmodum & retulit in compos. LXXV. & appellauit Asclepiadem nostrum, quia fortasse scholam eius amplexus erat.

De Scribonio altera est quæstio nec minus, quã prior, curiosa, nec magis necessaria, vtrum Latine an Græce scripserit. volumen eius Latine quidem scriptum exstat, sed non defuit, qui existimauerit, primo Græce ab auctore scriptum, postea vero è Græco Latinum redditum, idque circa Valentiniani ætatem, cum latina res inclinata iam esset: nam dictio ipsa Scribonij, quam habemus, latinissimum illud seculum non resipit: atq; tum qui ex Romanis medicinam tractabant, Plinio auctore, Græce scribebant, vt Sextius Niger, & Iulius Bassus. atq; mirum esset, si latine scripsisset, à Plinio fuisse præteritum. quę opinio habet has difficultates. cur enim mirum esse minus debet, Plinium Scribonij mentionem non fecisse si græce, quam si latine Scribonius scripsit? citat Plinius Cor. Celsum, qui latine (neque enim gręce cuncti, vt prioribus libris fusius ostendimus) sed etiam Sextium Nigrum adducit, & Iulium Bassum, qui græce ex Romanis scripserunt, & græcos medicos magno numero. quid igitur?

omnes commemorare, qui latine ſcripſerant, Plinius debuit? etiam ſi nihil in eorum voluminibus inuenerit, quamobrem memorandi eſſent, cum earundem rerum antiquiores, vel meliores haberet auctores? nec meretur excuſationem ſi non omnes agnouit? medicorum meminit quorundam qui ſub Nerone Principe. Romæ floruerant, vt Theſſali, Andromachum tamen ignoraſſe penitus videtur, quamquam is primus archiatrus appellatus dicatur, ac multa ſcripſerit. potuit ſimiliter Scribonium ſine culpa aut ignoraſſe, aut notum prætermiſſe. Nec miror dictionem Scribonij maxime latinam non eſſe: quoniam ſeculum illud florentiſſimum fuit vnum, quod vix ad Auguſtum peruenit. ac paucorum fuit ſemper in omni lingua ſcribendi facultate præſtare: qua in re Scribonij æquales Seneca, Columella, Celſus primas non tulerunt: quoniam prius ſeculum hanc ſibi laudem vindicauerat. ipſumque Celſum; quem ſcripſerunt græcas omnes diſciplinas latine loqui docuiſſe; Nonius in re latina tamquam minoris auctoritatis teſtem adduxit. vt non ſit mirum eadem ætate nonnullos etiam extitiſſe, qui ſcribendo nec primas poſt Celſum, nec ſecundas tulerint: vt Scribonium: cuius ſcripta non vt latine, ſed vt medice doceant legenda ſunt. alioqui exſtat eius epiſtola ad Iul. Caliſtum quendam (licet alibi Cor. Celſi nomen gerat; arbitror tamen neminem fore, qui vel vnam tantum Celſi librorum pagellam legerit, cui non Scribonij potius, quam Celſi hæc epiſtola videatur) in qua ſe de medicina latine ſcripſiſſe affirma-

firma-

firmauit. quamobrem (vt fructus aliquis curiositatis huius existat) concludi posset: vbi eadem pharmaca in Scribonio latino, & Galeno ex Scribonio græce leguntur, & vel in ponderibus, vel in medicamentorum appellationibus diuersitas inuenitur, non esse caussam, cur latina eius ex Græcis potius, quam ex eodem Græca apud alios ex ipsis latinis aut interpretemur, aut emendemus. nisi quis dixerit ad rem medicam descriptiones græce traditas aptiores esse. at hoc non est, de quo loquimur, dictionem emendare, aut interpretari, sed sententiam arguere. nec protinus, quia falsum aliquid in alicuius scriptis reperiatur, ab eo auctore scriptum esse negandum est.

De præsagio murium pro Cicerone. Cap. XV.

R*Vinis imminentibus mures pręmigrare scriptum est ab Aeliano lib. 1. var. hist. & à Plinio lib. 8. cap. 28. & aliqui probant Homeri testimonio, a quo traditum dicunt, Eliensibus, qui aduersus Ionas impie se gesserant, mures ab eis præmigrantes fatum portendisse. Hoc autem accipiendum est, signum esse ruinæ propediem futuræ. perpendenda est enim vis illorum verborum, ruinis imminentibus, apud Plinium, &* μελλούσης κατολισθένειν *apud Aelianum. quapropter nequeo assentiri viro doctissimo Petro Victorio, qui lib. var. lect. 15. cap. 5. Ciceronem notauit, hoc aut nesciuisse, aut verum non putasse: quoniam ad Atticum scribens, Tabernæ, inquit*

duæ mihi corruerunt: reliquæq; rimas agunt: itaq; non solum inquilini, sed mures etiam migrauerũt. his significans, primum inquilinos, postea mures migrasse, cum tamen diuinatione vtentes mures inquilinos præuenire debuissent. non aßentior, inquam, quoniam tunc mures abeunt, cum iam (vt ipse inquit victorius) putrida domus est, & paulo post casura. cum igitur duæ corruissent Ciceroni tabernę; casu eo territi aliarum inquilini, quas etiam rimas agere videbant, quamprimum migrauerunt; sed quia ædes plurimas videre est rimis iam pridem actis adhuc stantes, quas etiam habitare aliqui non verentur, licet qui habitare recusent non desint; quamobrem inquilinorum migratio non satis persuadeat ruinæ certo tempus nõ abesse; vt Attico suaderet Cicero, taberuas reliquas breui ruituras, fugæ inquilinorum migratiõnem murium adiunxit: qui non vana formidine, vt homines, sed certum præsentientes periculum recedere soliti sunt. ea est enim humanæ rationis imbecillitas, ut sæpe inani metu trepidemus, sæpe stulta securitate periclitemur. natura vero æquo ambulans pede numquam, aut rarißime fallitur.

De verbo *κιττᾶν* in Græco Aristophanis interprete locus notatur. Cap. XVI.

OBlata opportunitate perpendendi vocabulũ κίττα, quod Galenus vsurpat lib. 1. de caus. sympt. c. 7. occurit etiam Aristophanis locus ve spis, οὕτω κιττῶ διὰ τῶν σανίδων. vbi Græcus interpres inquit, κιττῶ ἐπιθυμῶ, ἀπὸ τῶν ἀρτίως τικτουσῶν

τικτουσῶν γυναικῶν, καὶ ἐπιθυμουσῶν τινῶν. ac si diceret, verbum, κιττῶ, significat idem quod concupisco, & ductum est a mulieribus, quæ nuper pepererunt, & aliqua desiderant. sed est notandum, vel ipsum falsum esse; quoniam hoc desiderij genus a Galeno dictũ est accedere mulieribus; quæ non multo ante conceperunt, non autem, quæ nuper pepererunt, vt ait interpres. & speciatim Galenus dixit fieri vsque ad mensem grauiditatis secundum, & tertium, & in quarto cessare: perinde atq; si accipi voluisset, hæc desideria oriri in primo mense, & vsq; ad tertium produci. cum.n. vtatur voce ἄχρι, quæ finem significat, inquiens ἄχρι τοῦ δευτέρου καὶ τρίτου, vsq; ad secundũ, & tertium, reliquum est necessario vt intelligamus, principium in alio esse tempore, scilicet in primo mense, vt Aristoteli quoq; placuisse videtur lib. 7. de hist. animal. c. 4. vt iure dici possit falli, qui hoc asserit de feminis, quæ nuper pepererũt, quod est de ijs dicendum, quæ nuper conceperunt. melius igitur in scholijs in eam comœdiam eiusdem poetæ, quæ pax inscripta est, legitur, κιττῶντες ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν κυουσῶν γυναικῶν. vel reijcienda est in librarium culpa, qui τικτουσῶν scripsit, cum κυουσῶν scribendum fuerit. quamquam hoc auctori quoque præter animi sententiam excidere potuit. Qui de medicina post Galenum scripsere, paullo aliter de huiusmodi desiderij tempore locuti sunt; verum nõ hoc in præsentia sumpsimus ad differendum. Galeni verba obiter quidem, sed bona fide retulimus.

De

De quorundam ſubtilitate & diligentia, & ſuper ea re Aeliani, & Platonis iudicium perpenditur. Cap. XVII.

CAllicrates ex ebore formicas, & alia tam parua fecit animalia, vt partes earum a cæteris cerni non poſſent. Myrmecides quidam in eodem genere inclaruit, a quo quadriga ex eadem materia, quam muſca integeret alis, fabricata, & nauis, quam apicula pennis abſconderet. hæc *Plinius* (*quæ etiam ſic melius ſe habent, quam in vulgatis exemplaribus*) *lib. 7. cap. 21. quibus conſentiunt ab eodem dicta lib. 36. cap. 5. ſunt in paruis marmoreis famam conſecuti, Myrmecides, cuius quadrigam cum agitatore cooperuit alis muſca, & Callicrates, cuius formicarum pedes, atque alia membra peruidere non eſt. lib. 34. cap. 8. affert aliud exemplum inquiens, Theodorus, qui labyrinthum fecit Sami, ipſe ſe ex ære fudit, præter ſimilitudinem mirabilem, fama magnæ ſubtilitatis celebratus. Dextra limam tenet, læua tribus digitis quadrigulam tenuit translatam Præneſte, tantæ paruitatis, vt totam eam, currumque & aurigam integeret alis ſimul facta muſca. hæc Plinius.*

Quæ vero poſtremo dicta ſunt, haud negligenter legenda ſunt. poſſet enim aliquis decipi, exiſtimans, aut dubiam hiſtoriam à Plinio eſſe traditam, aut duos eiuſdem operis artifices. ſed notandum eſt, à Myrmecide ex ebore, a Theodoro ex ære quadrigulam factam fuiſſe, præterea, vnius

inte-

integrum opus quadrigam exstitisse, alterius autē maioris cuiusdā operis partem perexiguam. Sed & in eo doctior aliquis falli posset, quod quadrigam & formicas Plinius modo ex ebore, modo ex marmore factas ab eisdem tradit. Sed si intelligatur ex ebore fossili factas, non erit fortasse, quod Plinio obijciatur, qui lib. 36. c. 18. inquit, Theophrastus auctor est & ebur fossile candido, & nigro colore inueniri, & ossa e terra nasci, inueniriq; lapides osseos. hęc Plinius, sunt autem pauca Theophrasti verba in libro de lapidibus, ὅτι ἐλέφας ὁ ὀρυκτὸς ποικίλος μέλανι. valeant igitur, qui ebur vllum fossile inueniri negant. quę vero ex ebore fossili fuere, marmorea dici potuerunt. fuisse aūt ex ebore Varro lib. 6. de l. l. testatum reliquit.

Aelianus lib. 1. var. hist. ait Myrmecidis, & Callicratis opera fuisse quadrigas, quas celarent muscæ. significans idē duorum fuisse, quod vnius Plinius dixit, nam vni formicas, & similia parua animalia, alteri quadrigam tribuit. vtrum recte Aelianus historiam miscuerit alij iudicabunt: mihi videbatur alia ratio eius, qui parua suapte natura animalia imitatur, vt formicas, culices & huiusmodi, & eius, qui naturaliter magna, vt equos, ex minuta effingit materia. De ambobus etiam simul Aelianus loquitur, dicens, in Sesamo, quod semen non magnum est, ab eisdem δίστιχον ἐλεγεῖον literis aureis inscriptum.

Plinius lib. eod. 7. In nuce inclusam Iliada Homeri carmen in mēbrana scriptum tradidit Cicero Sed rerum huiusmodi studiosum nulla dignum laude censuit Aelianus: scripsit enim aliud hæc

non

non esse ἢ χρόνου παρανάλωμα. ego autem vereor, ne in Aelianum iure aliquis conuenire illud existimet, quod Hippocrates ait in Epistola ad Dionysium, δοκιμάζει δ' ἕκαστος ἐξ ὧν αὐτὸς οὐκ ἔχει τὸ ἐν ἄλλῳ πλεονάζων περιασσύνειν. mihi ita videbatur. Si non sunt damnanda cætera studia (quæ sunt alioqui plurima) in hominibus cum voluptate admirationem mouentia, nec Callicratem, nec alium quemuis iniuria videri subtilitatis famam cum laude cōsecutum. vidi apud Michaelem Mercatum mædicę artis alias peritissimum, rei vero herbariæ, ac metallicæ studio Romæ clarissimum; Achatem, in qua Solē natura inter nubes radios iacientem macularum discursu tanta expressit similitudine, vt similem magis exprimere ars nulla posse videatur, quamobrē minus visum est creditu difficile in Achate Pyrrhi regis olim spectatas Musas, & Apollinem citharam tenentem. tamen in his ludentem Naturam nemo condemnat, sed potius quilibet cum admiratione commendat. est igitur, quod Deo O. M. gratias agas immortaleis, qui genus hominum sic expoliuit, vt quo in genere naturam admiramur, in eo tanta vi ars aliqua versetur, vt ipsius vel superet, vel exæquet naturæ subtilitatem. Damnat etiam Galenus in hortatione ad artes huiusmodi studia. quæ nec ipse imitanda susceperim, nec probauerim qui susciperet; si tamen aliquis ad ea naturæ impetu, qui sæpe habenas nō audit, feratur, & in aliquo excellat, vt eum non esse imitandum, ita nec esse damnandum censuerim: quoniam & hoc Dei donum est. Eodem loco Galenus Myrmecidē Athenien-

niensem vocat, Aelianus autem Milesium. & ibidem pro Callicrate, Callistratum aliqui legunt: sed hæc fortasse nimis subtiliter.

Idem Aelianus lib. 2. var. hist. narrat Annicerin Cyrenæum vocatum (nam Aristipoi Cyrenæi placita aliquando coluerat) de equestri facultate & agitatione currnum gloriari solitum; corã Platone semel in Academia cursus plurimos in orbem sic confecisse, vt, cum per eandem orbitam sæpius agitauerit, in impresso vestigio semper institerit. Sed alij plures in alijs, atque alijs operibus diligentiæ laudem meruisse traduntur, quos recensere non instituimus. in hac autem Aeliani narratione notandum est, quod subiecit, alios quidem, qui cum Platone aderant, Anniceris dexteritate, vt par erat, obstupuisse: Platonem vero nimium illius studium arguisse, asserentem non posse eum, qui in re tam tenui, pretijque nullius tãtam adhibet curam, de rebus magnis solicitum esse: nam tota illius cogitatio in ea re posita necesse est vt ea, quæ vere sunt admirãda, paruifaciat.

Platonis autem sententiam hanc probandã maxime dixerim, si reuera in nulla re aliquis studiosius versetur. quod de Anniceri dici non potest, qui meruit nomẽ philosophi, & discipulos habuit, atque de suo nomine sectam instituit. deinde, non erat nullius pretij res eo tempore, tum equitando, tum currus agendo excellere. nec obijcere Plato potuisset. rem non esse philosopho dignam: quoniam traditum est, Platonem quoque ipsum in Pythijs, & Isthmijs de lucta certauisse. & oportuit Annicerim Platone multo iuniorem fuisse: nam secun-

secundus ab Aristippo numeratur, audiuit enim Paræbatem, qui ipsum audiuit Aristippum Platonis æqualem, & condiscipulum. sed minus fortaße Annicerim Plato dilexit, quod sibi addictũ non eße intelligeret. est autem habitus Plato κακόλογος, & πρὸς πάντας δυσμενὴς, & κακοήθης: & nominatim Aristippo ad Dionysium proficiscenti dicitur illusisse, licet ipse quoque ad vtrumque Dionysium nauigauerit, & ob eam profectionem male audiuerit.

Sed exemplũ quoq; Theodori ante dictũ Platonis reprehensionẽ diluit. is.n.in parua quadriga subtilitatis laudem adeptus, maiora nihilominus opera perfecit, quæ cũ admiratione spectata esse proditũ est.

De Mazæ vilitate. Cap. XVIII.

M*Aza quid esset apud Græcos Hippocratis seculo, satis primo libro exposuimus. nunc illorum notandus error est, qui Mazam præstantius quoddam edulium, ac delicatius fuisse eo crediderunt, quo uerbum illud ὑπερμαζᾶν dictum de hominibus fuerit, qui molliter & delicate viuunt. cuius uerbi uim scriptor adagiorum non percepit.*

Ex eo, quod Plutarchus dixit, in Maza & lẽte iucunditatem non esse, sine dubio intelligitur Mazam vile quiddam exstitiße. sed egregiam habemus Epicuri de felicitate sententiam, quæ huic loco aptissima est. Qui exiguo contentus non sit, nulla re posse contentum esse. posse de felicitate cũ Ioue certare, qui mazam habeat, & aquam, græca eius leguntur apud Aelianum lib. 4. var. hist. qua in re non est deterius philosophatus, quam Euripi-

ripides, cuius illa sunt tradente A. Gellio lib. 7. cap. 16. τὶ δεῖ βροτοῖσι πλὴν δυεῖν μόνον Δημήτερος ἀκτῆς, πώματος θ' ὑδροχόου vt igitur vilissima potio est aqua, ita mazam tamquam cibum vilissimum ab Epicuro propositam esse, res ipsa perspicue demonstrat.

Quod autem contra delicatos vsurpatum sit verbum ὑπερμαζᾶν, tantum abest ut adducar ad credendum, mazam fuisse delicatorum edulium, vt è contra persuaserit idē illud verbum, inter vulgaria, & pretij minimi mazam esse habitam. nā molles & delicati ij censentur, qui cibo, potuq; ac cęteris vulgaribus non contenti suauiora quædā, & pretiosiora concupiscunt, & diligenter conquirūt. hi ergo, quia mazam abhorrent tamquam vilius panificium, & iniucundum, & præstantiora desiderant, propterea dicti sunt ὑπερμαζᾶν, hoc est his delectari, ac vesci, quæ mazam superāt, et post se relinquunt: perinde atq; si Romanus diceret, cibario pane non contentus siligineum expetit.

Hanc sententiā Athenęus confirmat, qui lib. 14. antiquitus, ait, mazam vocatū fuisse popularem, & communem cibum, cuius postea nomen fuit immutatum, sicuti res ipsa varietatem quandam ἀκολάστως (ita.n.ait) καὶ περιέργως, intemperanter, & curiose nimis recepit. nā ex μάζα factum est ματτύη, quo nomine pretiosum quodcunq;, & opipare paratum edulium intelligeretur, scilicet maza sola hordei farina & aqua constabat, ἐκ τῶν ἀλφίτων, inquit eodem loco Athenæus, vbi vero mel, oleum, lac, sapa, dulce vinum misceri cœpit, non amplius μάζα, sed ματτύη dicta est,

quod

quod nomen cibis quibusque pretiosis & delicatis commune factum est, siue pisces, siue aues, siue olera, siue quodlibet aliud ita conditum esset, vt vulgarem ciborum rationem excelleret. cum igitur in hanc ille sententiam locutus sit, persuadet mazam apud antiquos inter viliores & valde vulgares cibos fuisse. quippe quæ, cū ab antiqua simplicitate defecit, protinus nouo nomine donata est.

Locus ex tertio libro de Republica Platonis, ad uictus rationem pertinens, examinatur. Cap. XIX.

AD morbos vitandos, & bonum habitum, bonamq; valetudinem conseruandam. simplicem, frugalemq; victum, & condimentorum, omnisq; varietatis abstinentiam conferre, Plato lib. 3. de Rep. Homeri testimonio, & auctoritate conatus est persuadere. etenim nusquam apud Homerum legitur, in Herou conuiuia, etsi iuxta mare Hellesponticum castra haberent, pisces, et carnes elixas venisse, sed assas dumtaxat. condimētorum etiam nunquam meminit. οὐδ' ἐμὴν ἡδυσμάτων ὡς ἐγῷμαι ὅμηρος ἐμνήσθη. *Qui locus est considerandus; ne tanti viri auctoritate commoti errore aliquo capiamur.*

Cum igitur esset ei sermo de sanitate, & habitu bono, iure merito dubitatur, quorsum dixerit, carnes elixas non venisse in conuiuia, sed assas dumtaxat? sunt enim medici, qui elixas præstare assis quouis pignore cōtenderint: & Galenus lib. 2. de facultatibus alimentorum cap. 6. elixas familiarem

rem homini cibum esse asseruit. an igitur è contrario assas salubriores Plato existimauit? si scopum eius disputationis respiciamus, hoc affirmandum est: quia præcepta quædam sanitatis pertractat, et Athletarum uictum insalubrem condemnans, priscorum Heroum uiuendi modum tamquam salubriorem obijcit, quos assis tantum uesci solitos à poeta dictum est. Si uero rationis, quam attulit, momenta ponderemus, quid ad bonam ualetudinem conferat non intelligetur: dixit enim, assis tantum carnibus usos esse, quoniam in exercitu hæ facilius, & expeditius tractantur, cum solo sit opus igne, cuius ministerium expeditissimum est, & contra operosa sit uasorum administratio, quibus ad elixandum indigemus. πανταχοῦ γὰρ, ὡς ἔπος εἰπεῖν, αὐτῷ τῷ πυρὶ χρῆσθαι εὐπορώτερον, ἢ ἀγγεῖα ξυμπεριφέρειν, *at, quod usus ignis expeditior sit, quam uasa circumferri, quid attinet ad sanitatem? æque ast, ac si dixisset, pisces quoque bonæ ualetudini non esse utiles, quoniã Greci in exercitu piscibus, Homero auctore, usi non sunt, propterea quod nec idonea ad piscandum instrumenta tenebant; nec dabatur otium ad piscandum, cum de pugna perpetuo soliciti essent; & nolebant piscatus uoluptate militum animos a pugnæ cogitatione, ac desiderio auertere. quæ, ut uera essent, a ualetudinis ratione sunt ualde remota. itaque & ea, quæ de carnibus dixit, rei propositæ non inseruiunt. neque ex Homero sumere argumentum licet. assas carnes elixis præferri oportere.*

Non est etiam sumendum ex hoc loco, pisces apud Heroas illos uetustissimos in usu ciborum non fuisse. probabile quidem est, tamdiu eos piscibus caruisse,

quamdiu cum Troianis bellum gesserunt, quoniam in Iliacarum rerum tractatione pisciũ Homerus nunquam meminit, & hoc tantum Platonem uoluisse existimo, qui speciatim illa Heroum conuiuia commemorat, quæ in exercitu parabantur, οἶσθα γὰρ ὅτι ἐπὶ στρατιᾶς ἐν ταῖς τῶν ἡρώων ἑστιάσεσιν οὔτε ἰχθύσιν αὐτοὺς ἑστιᾷ, καὶ ταῦτα ἐπὶ θαλάττῃ ἐν Ἑλλησπόντῳ ὄντας. *in exercitu igitur piscibus caruerunt, fortasse ob dictas rationes. domi uero secus existimandum: nãque idem Homerus Odyss. 12. & 19. piscium meminit, hic enim Vylssis socij dicuntur, postquam viaticum defecißet, ad piscatum, & aucupium conuersi.* ἀλλ' ὅτε δὴ νηὸς ἐξέφθιθο ἤια πάντα, καὶ δὴ ἄγρην ἐφέπεσκον ἀλητεύοντες ἀνάγκῃ, ἰχθῦς, ὄρνιθας τε φίλας, *illic autẽ in laudibus Ithacæ, piscium copiam ex mari non deesse, proditum est.* φέρησι δὲ γαῖα μέλαινα πυροὺς καὶ κριθὰς, βρίθησι δὲ δένδρεα καρπῷ τίκτει δ' ἔμπεδα μῆλα, θάλασσα δὲ παρέχει ἰχθῦς.

Quod denique simplicem cibum probauerit, & Syracusanam mensam, Siculamque obsoniorum varietatem, & condimentorum usum damnauerit; optimum quemque medicum laudare testem potuisset. tamen ciborum uarietatem Heroicis quoque temporibus placuisse Homerus ostendit, qui Odyss. primo, cum Proci epulantur, cibos multos, & omne genus carnium appositum cecinit.

Σῖτον δ' αἰδοίη ταμίη παρέθηκε φέρουσα, Εἴδατα πολλ' ἐπιθεῖσα, χαριζομένη παρεόντων.

Δαιτρὸς δὲ κρειῶν πίνακας παρέθηκεν ἀείρας
Παντοίων.

Cuiusmodi etiam in Menelai ędibus Telemacho lib. 4. & Vlyssi apud Circem lib. 10 offeruntur. Vulgus

gus quidem existimare par est, ut hodie quoque fit, vulgari cibo, & simpliciori vesci solitum: sed opulentiores tum varietatem, tum iucũditatem aliquam non vulgarem adamasse; prẹter hẹc, quẹ dicta sunt, illa eiusdem poetẹ docent Odyss. lib. 3.

Ἐν δὲ γυνὴ ταμίη σῖτον, καὶ οἶνον ἔχευεν, ὄψα τε οἷα ἔδουσι διοτρεφέες βασιλῆες.

Si igitur obsonia regulorum talia non erant, qualia vulgus habuisse intelligendum est; nihil est, quamobrem non existimemus, priscis illis temporibus, tum sapores uarios in cibis conquisitos, tum bellaria atque alia, quẹ Plato ἡδύσματα appellat, cognita esse, licet eorũ nominatim mentionẽ Homerus fecisse ignoretur.

Ad Athenæi, & Francisci Patricij errores de Strabonis patria & ætate dignoscendos Collecta, Ad Aloisium Rhodulphum Patritium Veronensem Iurisconsultum. Cap. XX.

Accidit mihi, Aloisi, in hac litterarum tractatione, quod mercatoribus aliquando contingit, qui mercatus celebritatem aliquam; quo uendendi, & emendi caussa lucro ducti venerunt; circumeuntes, aliquid interim ex aliena negociatione comparant, vnde nullus eis quẹstus accedat, sed uoluptas. In Strabonis libris, tamquam in mercatura quadam multarum, & magnarum artium uersati sumus, ut quẹ sũt ab eo de rebus naturalibus scripta, quibus studia nostra iuuari possunt, intelligeremus, & ad usus nostros conuerteremus. quod fecimus etiam vt spero, Deo fa-

uente cõsecuti. interea contigit, dum paullum animus uagatur, (neque enim aliud datur ocium, in quo quotidiano quasi opere defessi libentius requiescamus) ut hęc, quæ ad historiam pertinent, tamquam auctariũ, quamuis de aliena officina, nostris mercibus accesserit. quę supprimenda non fuerunt, ne quod nobis uoluptati fuit si forte aliorum studio prodesse posśit, me meæ interpretes uoluntatis id non propter modestiam domi continuiße, sed propter inuidiam quandam exire non permisiße arbitrarentur. tibi uero inscribuntur, vt vetus iam, & omni officij genere honesti confirmata amicitia nostra, testimonio, quod habere maximum potest, minime careat.

F. Patricius, libri de regno tertij titulo decimo quarto, Strabonem Geographię auctorem Cretensem fuiße scriptum reliquit. qua in re falsum eße Patritium statim diiudicabit, qui Strabonis Geographia paullo attentius perlecta meminerit, de seipso eum dixisse, solum sibi patrium esse Amasiam, quod est oppidum in Cappadocia.

Athenęus non leuiori culpa, libro decimo quarto scripsit, eundem Strabonem ętate Scipionis uixisse, qui Carthaginem deleuit; quandoquidem ipse Strabo libro septimo (ita enim Athenæus inquit) dixit Posidonium Stoicum, qui Scipionis tempestate uixit, a se cognitum esse. uolebat autem his Athenæus ostendere, Strabonem non adeo recentis memoriæ fuisse auctorem, ut eßet illius auctoritas negligenda. quamobrem videtur significasse, ipsum quoque, ut Posidonium, annis parem Scipioni fuisse. aberrasse autem Athenęum, his, quę ex ipso Strabone potissimum collecta subijciam, perspicue cognoscitur: etenim

etenim demonstrant, non Scipionis illum temporibus, sed longo post tempore sub Augusto, & Tiberio Impp. vixisse: nec, quia Strabo Posidonium nouerit, argumentum esse, Scipionis eum tempestate exstitisse.

In Cappadocia igitur regionem esse Amaseorum, & in ea oppidum, cui nomen Amasia, Iridi fluuio adiacens, in eoque oppido Strabonem natum, ipse auctor est Strabo Geographię libro duodecimo, vbi ipsam illam regionem late describit, & finitimis bonitate pręstare asserit.

Materni generis nobilitatem (cum de paterna nihil dicat) exponit libro decimo. ait enim se uidisse Stratarcham alterum ex filijs Dorilai Tactici Cnosiorum ducis. Cuius Stratarchę frater Lagetas filiam habuit, quę fuit auia Strabonis materna.

Libro vndecimo narrat, Mithridatem Eupatora (qui filius fuit Mithridatis Euergetis, quem Sinope amici interfecere) cum iam adoleuisset, & Colchidi imperaret, consueuisse aliquos in Colchida prefectos mittere, inter quos Moaphernes exstitit, qui matris Strabonis patruus fuit. cuius mentionem quoque facit libro duodecimo.

Libro duodecimo Dorilaum Tacticum Strabonis matris proauum maternum fuisse scriptum est. & alterum Dorilaum Philetęri, qui Tactici dicti frater fuit, filium summo in Comana Ponti sacerdotio functum Mithridatis Eupatoris beneficentia: quae dignitas post regiam amplissima erat, quam, genere Dorilai extincto, propter bellum Romanorum contra Mithridatem, Archelaus concedente Pompeio assecutus est. Hęc de materno Strabonis ge-

nere. ex quibus etiam intelligitur, ut Patritius decipi potuerit: fuere enim ex maioribus illius nonnulli, qui Cnossum Cretę ciuitatem coluerunt, et in ea summos honores adepti sunt, quāobrem lib decimo dixit, eam ciuitatem sibi alienam non esse. περὶ μὲν κνωσοῦ ταῦτα πόλεος οὐκ ἀλλοτρίας ἡμῖν. *verum qui eam vrbem coluerunt, Strabonis cognati, Dorilai scilicet filij Lagetas, & proles eius, diu ante ipsum Strabonem natum, a Mithridate accersiti, relicta Cnosso, in Asiam migrauerunt.*

Non est autem ignorandum, quod erat Comana etiam in Cappadocia, & ibi templum, & sacerdotium dignitate par ei, quod in Comana Pōti fuisse ante scriptum est. de quo Strabo loquitur initio libri duodecimi, & Cęsar lib. 4. commentar. de bello ciuili, Comana, inquiens, vetustissimum & Sanctissimum in Cappadocia Bellonæ templum, quod tanta religione colitur, ut sacerdos eius Deæ, maiestate imperio, & potentia secundus a Rege consensu gentis illius habeatur. id homini nobilissimo Nicomedi Bithynio adiudicauit, qui regio Cappadocum genere ortus, propter aduersam fortunam maiorum suorum, mutationemque generis, iure minime dubio, uetustate tamen intermisso, sacerdotium id repetebat. hæc ait, quorum a Strabone nihil dictum est. preter id, quod ex eodem plerumque genere reges erant, & sacerdotes. erat autem utrūq; templum Bellonæ sacrum, nam Strabo dixit Ponticū fuisse dicatum eidē deæ, cui alterum, quod est in Cappadocia, de quo dixerat, τὸ τῆς ἐνυοῦς ἱερὸν *Bellonæ sacrum, ut Cęsar dixit: quamobrem aberrasse Origenes videtur, qui lib 6. contra Celsum Comana Cappadociæ dixit esse Dianę, quod postea eodem errore dictum*

est

est a Procopio lib. de bello Persico. melius dixisset in eo templo simulacrum esse Dianæ Tauricę, ut Dion scripsit lib. Rom. hist. 35. nam & Strabo Cappadox sacra illa dixit creditum ab Oreste & sorore Iphigenia ex Taurica Scythia delata esse, quæ ipsius essent Tauropolis Dianæ, ibiq; flebilem positum esse Comã, vnde nomen est ciuitati Comana. alioqui Bellonæ sacrum esse templum asseruit. Pausanias quoque certare inter se Cappadocas, Euxini accolas, & Lydes tradidit, penes quos nobile illud Dianę signũ extaret. Certare etiã Lacedęmonios & Athenienses de re eadẽ te statur, & pro Lacedæmonijs pronuntiat in Laconicis. Sed de his satis. Auditor fuit Strabo Tyrannionis Grammatici Sideni, ut ait lib. duodecimo. item cum esset valde puer Aristodemi Grammatici Niseni, qui iam senecta ultima erat, & Menecratis filius, qui audiuerat Aristarchum. cuius Aristodemi frater fuit Sostratus; & alter Aristodemus nepos, qui Magnum Pompeium erudiuit. at prior Aristodemus non grammaticæ solum, sed Rhetoricæ quoque scholã exercuit, mane rhetoricam, vespere Grammaticam docebat. audiuit etiam Xenarchum philosophum Peripateticum. de quibus libro decimoquarto.

In Aegyptum se profectum esse, Alexandrię que uersatum, et Thebas Aegyptias accessisse scripsit lib. 1.3.& 16.

In Italia Populonium attigit, vt ait lib. 5. quo in itenere Sardiniam vidit, Corsicam, & Iluam insulas. Romam quoque libro eodem ita describit, vt ex eo intelligatur, non parum in hac eum vrbe versatum esse. libro etiam octauo dixit, in æde Cereris Romæ a se visum Bacchum Corintho delatum, ab Aristide Tebano

depictum; quam ędem cum pictura paullo ante, quam hæc scriberet, combustam asserit. Plinius lib. 35. c. 10. inquit, Aristides Thebanus pinxit Liberum patrem, & Ariadnen spectatos Romæ in æde Cereris.

Græciam quoque se peragrasse ostendit, cum libro octauo scribit: ex Acrocorintho se Eleonas despexisse, oppidum Corintho distans stadia octoginta. & libro decimo, quo tempore Corinthi Augustus se ad Actiacum triumphum componebat, in Gyaro insula vicum se reperisse piscatorum, & inde senem quendam piscandi peritum ad Cæsarem adduxisse.

Scripsit autem non solum hos τῶν γεωγραφουμένων *libros septemdecim: sed commentarios etiam quosdam historicos, quorum mentionem facit lib.* τῶν γεωγραφουμένων *vndecimo.*

Principes viros sui temporis nominauit lib. quinto Pompeium, D. Cæsarem, & Augustum, vt qui studij multum in exornanda vrbe Roma posuerint.

Libro sexto, Augustum, qui Coloniam miserit, vt Syracusæ, quas Pompęius deuastauerat, restitue rentur. eundemque lib. 17. dicens ab eo imperium noua quadam ratione dispositum, prouincijs quibusdam sibi reseruatis, quæ Cesaris appellarentur, quibusdam vero populo concessis, quæ populares vocarentur. cui consentire ea videntur, quę Suetonius in Augusto tradidit. Prouincias validiores, & quas annuis magistratuũ imperijs regi nec facile, nec tutũ erat, ipse suscepit. cęteras Procõsulibus sortito permisit. fuit autem noua hęc ratio: quoniam antea prouincię quædam Consulibus, quędam Pretoribus singulis annis

a senatu

a senatu decernebantur, vt notum est. De his autem plura apud Dionem lib. 53. Libro item sexto, Tiberium successisse Augusto, filiosque habuisse Germanicum & Drusum dixit, & lib. 13. eundem Sardes Lydorum vrbem terręmotu deiectam restituiße.

Lib. 14. Marcellum ex Octauia, sorore Augusti genitũ a Nestore Tarsense eruditum fuiße. libro vndecimo, Pharnacem, & Mithridatem Pergamenum memorauit, qui Leucoteę templũ in Moscorum regione ditissimum depopulati sunt.

Lib. 17. Ptolemæum Aulcten Aegypti regem, & Cleopatræ genitorem, quem Alexandrini ob eius non ferendam lasciuiam regno eiecerunt, & Cleopatram ipsam renunciarunt reginam.

Lib. 14. Cypri regẽ postremum Ptolemæum Cleopatrę Aegypti reginę patruum. dixit autem Cicero in oratione pro domo ad Pontifices, Ptolemęum regem Cypri fratrem regis Alexandrini. quo intelligitur, vere Strabonem, dixiße Cypri regẽ patruum fuisse Cleopatrę.

Libro decimo septimo, Iubam Maurusiorum regno auctum ab Augusto (qui alterius Iubę filius fuit, quem Scipio habuit socium aduersus Cæsarẽ pugnando) paullo ante interijsse, regnique succeßorem Ptolemæum filium reliquisse, quem ex Antonij & Cleopatræ filia, eius uxorem susceperat.

Lib. eodem, Candacem Aethiopum reginam virilem feminam, altero orbatam oculo. scribit autem Plinius lib. 5. cap. 29. regnare feminam Candacem, quod nomen multis iam annis ad reginas transijt.

Libro

Libro duodecimo, & quartodecimo, Pythodorin filiã Pythodori; qui Nisæ natus Tralles habitare propter nobilitatem delegit; Polemonis Ponti regis vxorem; quæ & sola viro defuncto regnauit; feminam prudentia spectabilem, & imperio dignam. cuius etiam filius alter Diotes Armeniæ magnę rex institutus erat.

Viros priuatos sua tempestate militia, & functis honoribus claros Strabo nominauit, libro secundo, Aelium Gallum Romanum, quem ait in Arabiam recenter exercitum duxisse, seque illi socium, & amicum fuiße, vt scribit etiam lib. 16. Plinius autem lib. 6. cap. 28. Romana arma solus in eam terram adhuc intulit Aelius Gallus ex equestri ordine. nam C. Cæsar Augusti filius prospexit tantum Arabiam. Gallus oppida diruit non nominata ab auctoribus, qui ante scripserunt. lib. 17. Cornelium Gallum, qui primus Aegypti præfecturam a Cęsare obtinuit. de quo Suetonius *in Augusto,* Saluidenium Rufum, *quem ad* Consulatum *vsque, &* Cornelium Gallum, *quem ad prefecturam Aegypti, ex infima vtrumque fortuna prouexerat. de saluidieno Diõ quoq; loquitur lib 48. et lib. 53. Corn. Galli interitus caussam late describit.*

Libro quinto, *Agrippam Romæ aquæductuũ curã habuisse. de qua re idem Suetonius in Augusto egregiam illius Imperatoris uocem memorauit inquiens,* Sed vt salubrem magis, quam ambitiosum principem scires, quærentem de inopia, & caritate uini populum seuerissima coercuit oratione, satis prouisum a genero suo Agrippa, productis pluribus aquis, ne homines sitirent. *huic autem uoci similis illa fuit, de qua Spartianus in Pescennio Nigro,* Hic erga milites tanta

fuit

fuit censura: ut cum apud Aegyptum ab eo limitanei milites uinum peterent, responderit, Nilum habetis, & uinum quaeritis? Sed & grauis fuit altera eiusdem, eodem auctore, tumultuantibus ijs, qui a Sarracenis victi fuerant, et dicentibus, uinum non accepimus, pugnare non possumus, erubescite, inquit, illi. qui uos vincunt aquam bibunt. Ceterum magnum sibi nomen Agrippa cura aquaeductuum comparauit, de quo multa scitu digna apud Iul. Frontinum leguntur, illa in primis lib. 1. Imp. Caes. Augusto, M. Lelio Volcatio Coss. anno post vrb. cond. 719. Agrippa ductus Appiae, Anienis, Martiae pene delapsos restituit, & singulari cura cum compluribus salientibus aquis instruxit urbem. & lib. 2. Primus M. Agrippa post aedilitatem, quam gessit, cōsularis, operum suorū, & munerum veluti perpetuus curator fuit, qui iam copia permittente, descripsit, quid aquarum publicis operibus, quid lacubus, quid priuatis daretur. habuit et familiam propriam aquarum, quae tueretur ductus, atq; castella, & lacus. Sed nimis vagari videmur.

Libro duodecimo ait Strabo se vidisse P. Seruilium Isauricum, qui Isauriam Romanis subiecit. huius autem filiam Augusto adolescenti sponsam fuisse auctor est Suetonius.

Libro decimotertio, Marcum Pompeium, filium Theophanis Mitylenaei Magni Pompeij amicitia clari, a Caesare Augusto Asiae praefecturam obtinuisse, Tiberioque in primis carum exstitisse. licet autem existimare Theophanem; quem Pompeius ciuitate donauerat, vt auctor est Cicero pro Archia; eiusdem Pompeij fauore, & gratia Pōpeiorum nomen posteris suis indidisse, & ideo filium eius M. Pompeium nuncupa-

tum esse, de cuius posteritate Corn. Tacitus; narrãs lib. 5. cędes Romę factas Galba & Sulla Coss. inquit etiam in Pompeiam Macrinam exilium statuitur, cu ius maritum Argolicum, socerum Laconem e primoribus Achaeorum Caesar adflixerat. pater quoq; inlustris eques Romanus, ac frater praetorius, cũ damnatio instaret, seipsi interfecere. datũ erat crimini quod Theophanem Mitylenaeum proauum eorum Cn. Magnus inter intimos habuisset: quodque defuncto Theophani caelestes honores graeca adulatio tribuerat, vt mirum sit, Marcum Tiberio gratũ fuisse, filium vero, ac nepotes in eiusdẽ odium incurrisse. Libro quartodecimo floruisse Pythodorum Trallianũ Pythodoridis Ponti reginę parentem, opibus, & Pompeij amicitia fere in primis pollentem.

Litterarum professores eiusdem seculi ab eo memorati hi sunt.

Aristonicus Grammaticus, quẽ lib. primo ait scripsisse περὶ τῆς μενελάου πλάνης *qui forte, idem est, quem aliquid de saltatione scripsisse Athenęus lib. primo significat, & Suidas Alexandrinum fuisse dicit, scripsisseque nõnulla ad Hesiodi theogoniam, & Homeri cum Iliada, tum Odysseam pertynentia.*

Tyrannion grammaticus Sidenus, cuius ante inter Strabonis magistros mentio facta est. hunc Suidas scribit, antea vocatum Theophrastum, sed eius praeceptorem Hestiaeũ, quod reliquos condiscipulos anteiret, Tyrãnionem appellasse. captiuũ à Lucullo Mithridatis victore Romam ductum, vbi clarus, atque diues euasit, & librorum vltra tres myriadas possedit, senẽ podagra interijsse, discipulum insignem eodem nomine, sed Phaenicem, habuisse.

Ari-

Aristodemus item grammaticus, cuius ante quoque meminimus qui etiam rhetoricam professus est. Diodori duo Rhetores Sardiani, vt ait lib. 13 quorum iunior Straboni amicus, historias, et poemata scipsit.

Hybreas Mylasius ex Caria rhetor, Diotrephis Antiocheni discipulus, ciuis optimus, & patriæ vtilissimus: de quo hęc scribit lib. 14 sed etiam lib. 13. dixerat rhetorem fuisse illa ętate maximum.

Aeschines Milesius rhetor, quem lib. 14 tradit, aduersus Pompeium intemperanter oblocutum, exulem, profugumque interijsse.

Lesbodes, Potamon, Crinagoras, Mitylenęi, ex quibus lib. 13. sed aperte illorum professionem non de plicauit, verum, quia pro xime Diophanem rhetorem nominauit, illos quoq; rhetores fuisse intelligendū indicauit. illud constat, Suidam scripsisse, Potamonē Mitylenæum rhetorem Lesbonactis Mitylenęi philosophi filium fuisse, Romaque sub Tiberio professum.

Theodorus Ascalonita rhetor, vt ait libro. 16. Theophanes Mitylenæus, quē lib. 13. scribit historicū fuisse, virum ciuilē, & ob virtutem Magni Pōpeij amicitiam meritum & assecutum, cui in rebus gerendis magno adiumēto exstiterit. quamobrem gręcorum omnium clarissimus euaserit. filiumque habuisse M. Pompeium, cuius ante meminimus. ait uero de Theophane, quod Pompeij, vt res ab eo gerendæ omnes feliciter succederent, auctor fuerit. καὶ πάσας συγκατώρθωσεν αὐτῷ τὰς πράξεις attamē non satis illi prospere cessit postremū, quod Theophanis consilio susce pit faciūdū. cum n. a Cęsare victus (Plutarcho aucto re) in Africā vt nauigaret cæteri probarāt, ipse verò Parthicā regionē pferret, in quā se ad renouādū bellūo

reciperet

reciperet, Theophanes auctor fuit, vt in Aegyptum se conferret ad Ptolæmeum, cuius iussu interfectus est. Cicero in oratione pro Archia poeta, quid, inquit, noster hic Magnus, qui cum uirtute fortunam adæquauit? nonne Theophanem Mitylenæum, scriptorem rerum suarum, in concione militum ciuitate donauit?

Dionysius Alicarnassensis, & Seleuciæ in Cilicia philosophi peripatetici Athenæus, &, quem ante diximus, Xenarchus. quos memorauit. lib. 14.

Nestor Tarsensis Academicus Marcelli Octauiæ sororis Augusti filij præceptor, cuius etiam ante mentio facta est ex libro. 14.

Boethus Sidonius, quem lib. 16. testatur philosophum fuisse insignem, quo cum ipse Aristotelicis operam dederat: cuius frater Diodotus philosophus similiter fuit.

Antipater Tyrius Stoicus, de quo libro eodem uerba facit. quem Cicero lib 2. de off. dixit, paullo ante, quam illa scriberet, Athenis mortuum esse: Plutarchus autem Catoni Vticensi familiarem in Catonis eiusdem uita testatus est.

Posidonius Apameensis. quem lib. 16. Stoicorum sui temporis eruditissimum appellat: de quo locutus erat etiam lib. 14. vbi dixit, Rhodi quidem versatum esse, ac docuisse, nihilominus tamen patria Apameensem fuisse. de hoc autem locutum quoque Plutarchū existimo in Pompeio, cum ait, Pompeium deuicto Mithridate Rhodi cum uersaretur, professores omnium artium audiuisse, ac doctoribus singulis talentum dono dedisse: hinc Posidonium litteris ad Hermagorā rhetorem gloriatum, se à Pompeio auditum esse. & Plinius lib. 7. c. 30. de eodem inquit: Cn, Pompeius

con-

cōfecto Mithridatico bello, intraturus Posidonij sapiē ntiæ professione clari domum, fores percuti de more a lictore vetuit; & fasces lictorios ianuæ sub misit, cui oriens, occidensq; submiserat. Hūc Cicero lib. 1. de diuinat. & 1. ac. 2. de Nat. deor. & 2. Tusc. q. nostrum appellat, & tum sibi, tum alijs Romanis, quos ijs libris colloquenteis inducit familiarem. quem etiam in podagræ dolore non admodum fortem fuisse testatur in Hortensio, quo libro maximum quoque Stoicorum appellauerat, vt videre est apud Noninm in voce V E L. quamquam lib. 2. Tusc. q. illius verba fuisse scriptū est, Nihil agis dolor, quamuis sis molestus, nunquā te esse confitebor malum.

Sed hic est animaduertendus Athenæi error: qui Scipioni æqualem Strabonem & Posidonium dixit. Scripsit quidem Posidonius (vt refert Atenæus lib. 12.) libro septimo historiarum se cum Scipione Africano Alexandriam sub Euergete Aegypti rege profectum esse; quamobrem puto, Athenæum Scipionis æqualem dixisse; at fateri necessum est, hunc fuisse alium, & eum, qui Strabonis seculo vixit: nam; si temporis rationem, quæ maxime in hac re intelligenda necessaria est; habere velimus; reperiemus, ab Africani obitu ad initium Tiberij principatus; cum Srabo ad huc viuebat, annos intercessisse non pauciores centum & quadraginta. dicemus ne igitur Posidonium tot annos, aut plures vixisse? negabis, & fortasse existimabis circiter Imperij Augusti primordia, uel Cæsaris dictaturam in humanis esse desiiße; namque eo tempore Strabonem iam natum fuisse, licet ex quinto libro geographiæ colligere, vbi sui seculi principes memorat (ut ante diximus) Pompeium Cæsarem, et Augustum.

gustum. igitur accipiendum esse, Posidonium ab Africani obitu circiter V. C. annum. 621. vsque ad Cæsaris interitum anno V. C. circiter. 710. uixisse annos fere. 90. cumque æqualis dicatur Scipionis, & cum Scipione Alexandriam profectus; Scipio autem dicatur obijsse annos natus. 54. dicendus esset Posidonius vixisse nihilominus annos. 140. vt ante colligebatur. multo vero plures, si ad Tiberij principatum peruenißet, nam conficiuntur anni 140. si solum annos Scipionis colligas, & sequenteis vsque ad Cesaris dictaturam. nemini vero persuadebitur, Posidonium adeo longæuum exstitiße: cum id à nemine notatum sit, ipse vero artuum doloribus grauiter ægrotare solitus fuerit, vt ante dictum est ex Cicerone. ergo qui Posidonius cum Scipione vixit, hunc post obitum Scipionis annis. 90. Straboni cognitum esse verisimile non est. quia vero Posidonius, quem posteriorem fuisse abrbitramur, Panætij auditor fuit, vt ait Cicero lib. 1. de diuinat. eiusdemque Panætij auditor fuit C. Lælius Scipionis æqualis; scire licet, Lælium adolescentem audiuisse Antipatrum, qui fuit doctor Panætij, natu vero grandiorem audiuiße Panætium ipsum Posidonij doctorem; itaq; fieri potuit, vt Posidonius Lælio iunior Panætium audiuerit, & satis longa senecta, natus videlicet annos fere. 90. circiter Cæsaris dictaturam a Strabone, sed puero, cognitus sit. quod autem Strabo Scipionis ætate vixerit, id vero fieri nequaquam potuit, cum C. Cæsarem, Augustum, & Tiberium principes viderit. Nec leuis est hæc in Athenæo culpa censenda: nam ipse quoque libro quinto notauit Xenophontem, atque Platonem, quod in

temporum ratione ineunda decepti deprehendentur.

De Posidonio autem illud non preteribo, Volaterranum nos decipere, qui Posidonium Olbiopolitem; cuius ex Suida mentionem facit; eum esse asseruit, quem Strabo cognoscere potuit. cum tamen Apamensem illum esse Strabo dixerit, Olbiopolitem nunquam vocauerit.

Postremo ætate sua scribit lib. 12. Zeuxim Laodiceæ Herophiliorum scholam medicorũ aperuisse, quã deinceps aperuit quoque Alexander Philalethes, & lib. 14. Heraclidem pariter & medicum, & Herophilium commemorat inter æquales, quem Erythræum fuisse dixit, & Apollonij Myris condiscipulum, vt inde intelligamus Apollonium quoque Strabonis seculo vixisse. de quibus medicis quæ Galenus & alij tradiderint, alio loco digessimus.

Memorabiles demum hos casus, quo vixit, seculo, euenisse Strabo scriptis mandauit.

Libro primo, cum Alexandriæ Aegypti versaretur, circa Pelusium, Casiumque montem pelagus intumuisse, terramque sic obruisse, vt e monte insulam fecerit; quapropter via, qua in Pheniciam iuxta casium itur, reddita est nauigabilis.

Libro sexto, Selurum quendam Aetnæ filium nuncupatum; qui crebris latrocinijs Aetnæam regionem percursauerat diu; Romam missum, & ex machina editissima, tanquam ex Aetna in caueam præcipitatum esse, ibique a feris, ipso quoque Strabone inspectante, dilaniatum.

Libro vndecimo, in Moschorum tractu; qui Cholchicę regioni finitimus est; templũ Leucotheæ Olim.

ditissimum, Pharnacem primum, de inde Mithridatem Pergamenum depopulatos esse.


Libro eodem, Catonem sobolis caussa vxorem Martiam Ortensio ad sobolem suscipiēdam antiquo more concessisse. eumque morem Tapyrenorum quoq; gentis fuisse. quam rem Plutarchus ita narrauit, vt de ea dubitasse significauerit. tamen ait, hoc scriptum esse a Thrasea qui eius rei auctorem habuit Munatium Catonis familiarem, & socium.

Libro quarto decimo, Venerem Anadyomenem Apellis, quæ ante in Aesculapij templo in insula Coo posita erat, Romæ ab Augusto D. Cæsari dicatam. de hac autem Plinius lib. 35. c. 10. inquit, Venerem exeūtem e mari D. Augustus dicauit in delubro patris Cæsaris, quæ Anadyomene vocatur. quam nonnullos dixerat putasse pictā exemplo Campaspes ex pellicis Alexandri Magni, quam, etsi præcipue dilectam, Apelli eiusdem amore capto Alexander donauit.

Libro tertiodecimo, Tiberium Imp. Sardes, Lydorum vrbem, terræmotu dirutas restituisse. C. Tacitus. lib. Annal. 2. Eodem anno, inquit, (cum scilicet C. Cælius, & L. Pomponius Coss. fuerunt) duodecim celebres Asiæ vrbes conlapsæ nocturno motu terræ, quo improuisior, grauiorque pestis fuit. neque solitum in tali casu effugium subueniebat in aperta prorumpendi, quia diductis terris hauriebantur. Sedisse immensos montes, visa in arduo quæ plana fuerint, effulsisse inter ruinam ignes memorant. Asperrima in Sardianos lues plurimum in eosdem misericordiæ traxit. nam centies sestertium pollicitus Cæsar: & quantum ærario, aut fisco pendebant in quinquennium

quennium remisit hæc ait, quibus intelligitur, eam largitionem eo spectasse, vt ipsa vrbs reædificaretur, vt a Strabone dictum est.

Hæc igitur animi gratia, & studio vetustatis a me notata, atque hunc in modum digesta, satis docent Strabonem Amaseum fuisse, & Augusti ac Tiberij seculo floruisse.




R 2 MAR-


MARSILII CAGNATI VERONENSIS

DOCTORIS MEDICI, ET Philosophi, Variarum obseruationum.

LIBER QVARTVS.



CVIVS HIPPOCRATIS FILIOS Comici veteres tamquam fatuos notauerint. Cap. I.



PVD Aristophanem Nebulis, Iustus sermo adolescenti virtutem, & honestatem suadere conabatur. Iniustus contra dicebat, si huic aures prębueris, euades filijs Hippocratis similis, & appellabunt te blitomamam. quibus verbis filij Hippocratis vt fatui & insulsi notā tur. Blitum, inquit Plinius, iners videtur, ac sine sapore, aut acrimonia vlla, vnde conuitium feminis apud Menandrum faciunt mariti. τὸ βλίτον μωρὸν εἶναι δοκεῖ λάχανον, *inquit? Aristophanis interpres. Eupolis, & ipse Comicus eosdem notauit vt stultos, &* ἐμβολιμὰς, *idest cinædos, vt puto. quod traditum est ab eodē Aristophanis enarratore, ac Suida. quamobrem Galenus libro, quod*

animi

animi mores &c. dixit, a Comicis dicteria in filios Hippocratis propter illorum fatuitatem dicta eſse. & hoc ſatis perſpicuum eſt.

Vtrum autem ij fuerint magni illius Hippocratis medicinæ parentis filij, hoc vero magnam habet dubitationem. nam idem Ariſtophanis interpres ſcripſit, illorum nomina eſſe Teleſippum, Demophontem, & Periclem. vt a Suida quoque ſcriptum eſt. ſcimus autem & ab alijs traditum, & ab ipſo Suida, Hippocratem medicum duos tantum habuiſſe filios Theſſalum, & Draconem. quæ tum in numero, tum in nominibus varietas, indicat hoc vnius, illos alterius Hippocratis prolē exſtitiſse. deinde quæ tradũtur de Dracone nominatim & Theſsalo, non ea ſunt, ex quibus ingenio illos fuiſse ſtolido, ac fatuo colligere debeamus. quamuis enim longe a parentis ab fuiſse virtute ac prǽſtantia inueniamus: tamen fuere medici, & quidem non mali, & medicorum parentes, quibus etiam aliqua ex his, quæ ſunt nomine Hippocratis edita, feruntur accepta. inſuper animaduertere oportet, rem ab Ariſtophane expoſitam, Athenis geſtam eſſe. vt ſit valde veriſimile, non Hippocratem dumtaxat, ſed illius quoque filios Athenis vulgo cognitos fuiſse; quemadmodum Patroclus ille diues, & ſordidus; Pamphilus depeculator, Cliſthenes mollis, & alij alijs infames criminibus, quorum idem poeta mentionem facit; alioqui riſum ea res concitare (cui potiſſimum Comici ſtudent) minime potuiſset. at Hippocratis Coi filij Ariſtophanis tempeſtate fabula eſse Athenienſibus nulla ratione potuerunt: cum enim ęquales fuerint Ariſtophanes, & Hippocrates hic medicus; quis credat huius filios, lõ-

ge admodum ab Attica in Coo genitos, Athenis Aristophane florente cognosci in vulgus potuisse? Sed quid hæc affero? Eupolis pariter Comicus, maior natu, quam Aristophanes (quod ex historia constat) eosdem notauit, ut ante dictum est: itaque non vulgatissima tantum ea res Athenis esse debuit, sed etiã tam vetus, vt vllo pacto filijs Hippocratis Coi congruere non potuerit; nam si temporum ratio habeatur, cõstabit, eam famam Hippocratis filiorum, quos Comici exagitabant, ętate pene ipsius Coi medici antiquiorem fuisse. & illa tempestate uix aliquod huius medici nomen Athenas peruenisse. Eupolis enim bello Peloponnesiaco perijsse dicitur, cum florebat quidem Hippocrates ætate, sed vt nomen eius celebre Athenis esse non posset: cum circa initium illius belli, quo Eupolis mortuus est, uix annum tricesimum natus esset: tantum abest, ut de filijs eius sermo vllus in eadem urbe circiter eadem tempora vulgari potuerit.

Itaq; dixerim, aliquem ex Atheniẽsibus fuisse, cui nomen Hippocrati, cuius filij Telesippus, Demophon, et Pericles ea fuerint ingenij tarditate, ac stoliditate, vel etiam morum turpitudine, quam Comici demonstrarunt. nec aliũ fuisse, quam illum, de quo idẽ Aristophanes θεσμόφοριαζούσαις *locutus est, inducẽdo Euripidem per ęthera Iouis domicilium iurantem, Mnesilochum uero, eo iuramento non contentum, obijciẽtẽ, perinde esse, atq; si per Hippocrates* συνοικίαν *iurasset; quod interpretarer Cauponam, aut cænationem (ut aliquid comædia dignũ intelligatur) quę et esset ampla; vt cum ętbere similitudinem aliquam,* ὑπερβολικῶς *tamen, habere uideretur: & Scortorum, Ganeonum, &*

huius-

huiusmodi aliorum hospitium. illo videlicet patre dignum domicilium, cuius filios iure ac merito comici tam fœde sugillauerint. id quod Athenis vulgatissimum esset. quam infamiam referre in Hippocratem Coum sanctior alioqui de eo fama apud omnes deterret penitus, & ratio temporum dissona prorsus dissuadet. Galenus vero, cum de filijs Hippocratis ea dicat quę apud Comicos legerat, nihil addit, quamobrem asserere possimus de sene Coo sermonem habere quapropter nec damnari perinde potest, ac si filiorum Hippocratis historiam minus recte perpenderit, nec afferri tamquam testis, & assertor illius sententiæ, quæ Coi medici filios ut fatuos, bardosque a Comicis notatos affirmat. cui sententiæ acquiescere ob eas rationes, quas dixi, minime possumus.

De Sorani Isagoge, quæ cum latinis medicis edita est, iudicium. Cap. II.

SOrani libellus, qui isagoge inscribitur, iure optimo in latinorum medicorum volumine locum habet: quoniam illius auctor sine dubio latine scripsit, vt illa in primis verba demonstrant, quibus fetus humani situs in vtero explicatur cap xvij. Genua autem oculis sunt opposita, vnde & concaui exeunt, vnde & genæ dicuntur. Dictam igitur esse genam a genu, in latino tantum sermone intelligi potest. gena enim grecæ βλέφαρον est, quę vox etymon habet non a genu, seu γονὺ, sed βλέπω, & φάρος, uel αἴρω. cum quibus neque gena, neque genu similitudinem aliquam habet. Latine igitur loquentis fuit,*

genam dicere a genu ductam esse. hoc idem colligitur ex cap. xxiiij. Februario venam de pollice incidendam: quia tũ febricitat terra, & omnia, quę in ea sunt tamquam a Febre Februarij nomen deductum putauerit: at Latinus tantum potuit hoc existimare atque asserere, Grece enim hæc nusquam conueniunt. ex quibus concluditur quoque, librum Sorani non esse. quia Græce Soranus scripsit. Sed hoc alia quoque ratione conuincitur. nam Suidas auctor est, Soranum Ephesium medicum Traiani, & Adriani temporibus vixisse. sed qui hanc isagogen scripsit, ad Mecœnatem loquitur cap. V. ergo multo ante Adriani, & Traiani tempora vixisse oportuit, sub Augusto scilicet, cum Mecœnas etiam viuebat. sibi tamen auctor non constat: nam cap. xxiiij. illa verba; quę corrupta sunt; Adriam maiore antheriace, & legenda existimo, Andromachi theriace; docent, non potuisse auctorem Mecœnatis seculo scribere, quoniam Andromachus, diu post sub Nerone, floruit, Cui imp. theriacen suam Elegiaco carmine Grece descriptam dedicauit. Cui vero Andromachi Theriaces nota fuit; ille postea Mecœnatẽ alloqui nõ potuit, sed contra ei, qui Traiano, vel Adriano imperante vixit, Andromachi theriaces nota esse valuit. sed hęc ita controuersa persuadent ab aliquo inerudito, auctoritatis comparandæ caussa, libro huic Sorani nomen inscriptum esse.

Quę vero in eo fatua & ridicula leguntur, quæ plurima sunt, non tantum non esse Sorani fetum, sed nec, qui ignobilissimo cuiquam medico adscribatur, dignum esse perspicue declarant.

feruntur

Æliani, & Strabonis loca de fossili bitumine conferuntur, ad Michaelem Mercatum Doctorem medicum, & philosophum. Cap. IIII.

CVm proxime in tua Metallotheca; cuius legēdę copiā mihi pro tua humanitate, Michael ornatissime, fecisti; sermonem de bituminū differentijs valde doctum perlegerem; in his vero meis obseruationibus loca quædam probatissimorum auctorum contulissem, qui de fossili bitumine ea scripserunt, quæ rerum naturalium studiosum latere minime debent, & non leuem philosophandi materiem pręstant, in hanc ipsam adnotatiunculam commodum eodem tempore incidi: etenim ea mihi visa est ad mutuam beneuolentiam nostram tui nominis inscriptione testandam aptissima.

Aelianus lib. var. histo. 13 narrat, in agro iuxta Apolloniatarum ciuitatem in Ionio sinu bitumen fossile nasci: quod e terra sic oritur, vt vnde effoditur, loca deintegro repleat eodem modo, quo fontes aquarum plurimi. & non longe ab eo loco ignem ęternum ostendi. vri enim humilem nec magni ambitus collem sulphur, & alumen olentem: quem circa sunt floridæ arbores multę ac virentes, quarum nec flori, nec germini proximus ignis ardor quicquam officit. dies, noctesque ignem ardere, & nunquam defecisse, vt Apolloniatę ferunt, antequam acciderit, vt ipsi aduersus Illyrios bellum mouerint. hæc ita vertimus ex Aeliano.

Strabo lib. 7. geograph. in Apolloniatorum, inquit,

regione Nymphæum appellatur. est autem petra, quæ ignem emittit. sub qua fontes bituminis tepidi manant, dum, vt verisimile est, gleba bituminosa comburitur, cuius in proximo collevena exstat quodque sectum est denuo reficitur, quasi terra in fossas impacta spacio ac tempore in bitumen conuertatur, vt ait Posidonius. hæc Strabo.

Nymphæi huius, & bituminis ex Theopompo pauca Plinius memorauit lib. 2. cap. 106. & 107. Est autem notandum, non dici ab Aeliano, et Strabone contraria: quoniam alter fossile bitumen nominet, alter fontes bituminis commemoret: namque & fontes & metallum bituminis, glebamque Strabo dixit: vt eodem tempore fossile bitumen intelligas, quod igne combustum propinquo in liquidi bituminis riuos dissoluitur. videtur autem Strabo in ea fuisse sententia, bitumen generatim fossile, & glebam esse, quæ ignis opera liquidum ex se bitumen emittat, quod rursus frigore concrescat. nam lib. 16. in descriptione Iudeæ, Sirbonim paludem talem esse scripsit, qualem Plinius tradidit lacum esse, quem Asphaltitem vocauit (cum Sirbonis lacum alium fuisse, quam asphaltitem cap. 13. lib. 5 perspicue docuerit, qua in re melius eum sensisse arbitror, quam Strabonem qui Sirbonim ab Asphaltite non distinxit; & de Sirboni dicit, quæ de Asphaltite dicenda fuerunt) in cuius paludis aqua nihil recipi, nihil mergi, bitumen vero copiosum inueniri affirmat. & addit, ἐστι δ' ἄσφαλτος γῆς βῶλος ὑγραινομένη μὲν ὑπὸ θερμῶν, καὶ ἀναφυσωμένη, καὶ διαχεομένη· πάλιν δὲ μεταβάλλουσα εἰς πάγον ἰχυρὸν ὑπὸ τοῦ ψυχροῦ ὕδατος, οἷον ἐστὶ τὸ τῆς λίμνης ὕδωρ, ὥς τε τομῆς, καὶ κοπῆς δεῖσθαι. εἶτα

ἐπι-

ἐπιπολλάζουσα διὰ τὴν φύσιν τοῦ ὕδατος, ἥν ἔφαμεν μη-δὲ κολύμβου δεῖσθαι μηδὲ βαπτίζεσθαι τὸν ἐμβάντα, ἀλλὰ ἐξαίρεσθαι. Est uero bitumen terræ gleba. quę a calore liquescit, intumescit, atque diffunditur, rursus autem in adeo solidam glaciem mutatur ab aqua frigida, qualis est huius paludis aqua, ut secari & contundi debeat. postea innatat propter eius aquæ naturam, quam diximus neque Colymbo egere, neque ingredientem mergere, sed eijcere. ergo videtur una tum spissi seu fossilis, tum liquidi bituminis natura. gleba uidelicet, quæ locis quibusdam a calore in liquidum bitumen solui-tur.

Plinius lib. 35. c. 15. speciatim Apolloniaticum liquidis adnumerat: Aelianus fossile idem dixerat. Strabo utrumque verum esse significat, cum tradat et fontes fluere bituminis Apolloniatici, et eiusdem glebam adesse, qua exusta eorumdem fontium liquor bitumineus effluit.

Epiphanij locus corrigitur. Cap. IIII.

E*Piphanius Panarij operis initio materiæ medicę scriptores aliquot recensuit, quos e Dioscoridis proœmio repetitos esse, qui uel semel Dioscoridis lectionem aggressus sit, facile intelliget. quaob rē iure miramur Epiphanij interpretē medicū hoc non animaduertisse, & mēdum correctu facillimum sine litura reliquisse. Iolaus Bithynus, Heraclides Tarentinus, Crateuas, Andreas, basius Tylius, Niceratus, Petronius, Niger, Diodotus, hos autores ille memorat*

quorum

quorum nomina eadem, numero eodem, & ordine à Dioscoride scripta sunt. quapropter intelligimus in Epiphanio legendum esse pro, Basus Tulius; quæ sunt ignota medicis nomina: Iulius Bassus. Ita enim scriptum est à Dioscoride; & hoc nomine Romanus quidam exstitit, qui de medicina græce scripsit, vt est auctor Plinius.

Quod vero in eodem catalogo herbariorum seiuncta sint nomina Petronius & Diodotus, viri peritiores viderint, vter falsus sit, Dioscorides, qui seiunxit, a quo Epiphanius accepit, an Plinius, qui passim coniunxit, tamquam eiusdem auctoris alterum nomen, cognomen vero alterum fuerit.

De Tabularum Geographiæ vetustate. Cap. V.

Tabellis incidi aut pingi terrarum orbem antiquitus inuentum esse, Propertij doctus quidam auctoritate ostendebat, apud quem lib. 4. Arethusę nomine scriptum est,

Cogor & è tabula pictos ediscere mundos,
Qualis & hæc docti sit positura Dei.
Quæ tellus sit lenta gelu, quæ putris ab ęstu,
Ventus in Italiam, qui bene vela ferat.

Sed huius rei vetustiora quædam a nob. testimonia olim notata his obseruationibus miscere, ab instituto varia scribere professi non est alienum. est autem Geographia philosophicis studijs coniuncta, & in eam, ne genium defraudaremus, operæ non omnino parum contulimus.

Vsum igitur tabularum huiusmodi Socratis temporibus exstitisse eo intellexi primum, quod fertur, So cratem

cratem ipsum Alcibiadis fastum ob diuitias, priuatimq; ob agrorum possessionem superbientis repressisse, cum in tabella, in qua terrarum orbis descriptus erat, in Atticæ parte illius agros non esse depictos ostendit, & dixit, quid igitur superbum te agri faciunt, qui terrarum pars vlla non sunt? auctor est Aelianus lib. var. hist. 2.

Dein[illegible] [illegible], quod Aristophanes Nebulis Socratis inducit discipulum in Schola Socratis terræ descriptionem Strepsiadi hunc in modum explicantem. Discip. Hic autem tibi terræ circuitus omnis, vides? hæ quidem Athenę. Streps. Quid tu ais? non credo: quoniam iudices nō video sedentes. Discip. quam, dic, vere Atticus ager. Streps. & vbi Cicynis sunt mei populares? Disc. hic sunt. hęc autē Eubœa, vt vides. Streps. sed Lacedęmon vbi est? Disc. vbi est? hæc est.

Florebat vero Socrates post octogesimam olymp. vetustius autem monumentum est apud Herodotum Socratis pene æqualem; is enim lib. 5. prodidit, Tabellam æream, in qua totius terræ ambitus erat incisus, cunctumq; mare, atq; omnia flumina ab Aristagora Mileti Tyranno allatam ad Cleomenem Lacedęmoniis imperantem. quod ante olymp. 75. accidisse necesse est: etenim Cleomeni successit Leonides, qui ipsa 75. olymp. florebat, cum Xersem contra Græciā mouisse tradunt, Diodoro Siculo auctore lib. 11

Illud autem omnium vetustissimum videtur. nam Anaximander Milesius floruit circiter olymp. 50. is verò primus dicitur Geographicam tabellam edidisse, vt Strabo lib. 1. Geograph. ex Eratosthene scriptum reliquit.

Est autem dubium, quam recte tabellas huiusmodi

tempe-

tempestate illa conficerent, quoniam Aristoteles lib. 2. Meteor. inquit, ridicule nunc Terram circulo habitatam describunt.

De Drachma, Obolo, Triobolo, Talento. Isidori locus de scrupulo emendatus, & de Talento ex Plauto notatus.

Cap. VI.

HAec de re nummaria non quasi noua, sed idcirco dumtaxat notabam, vt iocosa veteris poetæ narratione res, quæ in aliorum commentarijs luculente descripta est, in memoria firmius retineretur.

Est autem medicis harum rerum scientia necessaria, quoniam Oboli, drachmæ & huiusmodi nominum in medicis voluminibus Grecorum mentio vt necessario, ita crebro reperitur.

Drachma Attica pendebat Obolos sex, Triobolus erat semidrachma. Philocleon senex ille apud Aristophanem Vespis iudicandi desiderio insanus, narrabat, se a Lysistrato *(qui ipse etiā vnus ex iudicibus fuit) semel hunc in modum fuisse deceptum. iudicis merces quotidiana Triobolus erat: Lysistratus die quadam integram acceperat drachmam, cuius dimidium Philocleoni prebere debuisset. veniunt illi in macellum. ibi inter pisces Lysistratus squamas tres cephalorum pro Obolis tribus collegæ tradit: ille cum pp matutinas tenebras non satis dispiceret, putauit se Obolos accepisse* ἐπέθηκε τρεῖς λοπίδας μοὶ κεστρέων, κ᾽ ἀγὼ 'νεκαψ᾽· ὀβολοὺς γὰρ ᾠόμην λαβεῖν. *In eadē comœdia*

dia (vt ſæpe alibi) ſignificatum eſt, Triobolum iudicibus dari ſolitum; cum idem ſenex exponit, quam hilariter a ſuis familiaribus ex iudicio domum cum argento rediens exciperetur, πάντες, inquit, ἀσπάζονται διὰ τ᾽ ἀργύριον, & ſubiungit filiam lauare, ungere, oſculari patrem, ac demum triobolum auferre. καὶ παππάζουσ᾽ ἅμα τῇ γλώττῃ τριώβολον ἐκκαλαμᾶται. Lyſiſtratus igitur drachmam accepit futuram mercedem ſuam, ac Collegæ, quia duplici triobolo conſtabat. dedit autem pro triobolo ſquamas tres collegæ exiſtimãti ſe tres Obolos accipere, quia triobolus tres Obolos pendebat.

Illud forte non adeo vulgatum, hinc intelligitur. Obolum quoque fuiſſe numum argenteum, ſed tam exiguum, vt potuerit aliquis in tenebris pro Obolo ſquamam piſcis recipere ſplendore captus, & figura, cum inter vtriusque magnitudinem parum, aut nihil intereſſet. ille quidem ſtatim odore dolum intellexit, ſed deceptor in deceptum culpam reiecit, quaſi ipſe dolum machinaretur, qui argentum deuoraſſet, & ſquamas pro argento accepiſſe mentiretur. quamobrem illum notauit, tãquam galli ventrem haberet, qui poſſit argentũ concoquere ἀλεκτρυόνος μ᾽ ἔφασκε κοιλίαν ἔχειν, ταχὺ γοῦν καθέψῃς τ᾽ ἀργύριον.

Verum & Talenti æſtimatio ex eadem Comædia colligitur, cum ſcilicet Philocleonis filius Bdelycleon, *ſi Iudicibus, inquit, (qui Athenis ſex millibus plures non fuere) merces amplius non ſoluatur; ſupererunt ſingulis annis talenta centum quinquaginta. vbi græcus interpres admonet, annum illic accipi perinde ac ſi decem tantum menſibus conſtaret, nam dies,*

qui duos reliquos conficiunt menses, in festorum celebritatibus consumebantur, quo tempore conciones, & iudicia silebant. & addit singulis mensibus quindena talenta expendi solita, nam si quindecim decies repetantur, centum quinquaginta conficiuntur. Cum igitur sex milla iudicum Athenis essent, & quotidie quisque semidrachmam pro mercede acciperet, singulis diebus drachmarum tria millia distribuebantur, & singulis mensibus nonaginta millia: quæ cum efficiant talenta quindecim (quę pars decima est talentum centum quinquaginta) necesse est in singulis talentis sena millia drachmarum inesse: etenim in numero nonagenario senarius quindecies continetur. hanc vero esse talenti æstimationem posteriores vbique auctores affirmant. recentiores vero sexcentis aureis nostratibus talentum æstimant, quòd sumunt, fuisse in drachma tantum apud Græcos, quantum in denario apud latinos, & paulo amplius, quam in nostrate argenteo numo, qui paulo minus, quam aurei pars decima æstimatur; cum tamen ex hoc Aristophanis loco accipi posit, drachmam Atticam & denario antiquo Romano, & nostrate minorem fuiße: siquidem oboli tam parui fuere, ut cephalorum squamas sicuti splendore, ita pondere, & magnitudine non excellerent: quamobrem videntur fuisse minores etiam, quam numuli nostri argentei (baioccos Romæ vocamus) quorum decem numo continentur, quem hi volunt pene Atticæ drachmæ respondere, sicuti decem aßes antiquus Romanorum denarius complectebatur; cum tamen drachma sex tantum obolos, quales diximus caperet: quamobrem non iniuria aliquis arbitraretur nostratẽ numũ argenteum dua-

bus

bus tertijs drachmam illam excellere, quoniam hoc decem, illa ſex tantum Oboli contineantur.

An igitur, quemadmodum Talentum omnes notarunt alterum magnum, alterum paruum fuiſſe; ita dicendum eſt, Obolum alterum magnum, alterum paruum, pariter & drachmam alteram paruam, alteram magnam exſtitiſſe? et fortaſſe Talentũ magnũ a paruo non fuiſſe a poſterioribus diſtinguendum, quod alterum ab altero drachmarum, minarumque numero ſuperaretur, ſed quod alterum ex parua drachma, quæ ex minoribus Obolis, alterum vero ex maiori, quæ ex magnis conſtabat Obolis, conficeretur?

Oboli parui mentionem Hippocrates fecit libro de hæmorrhoidibus: cum verba facit de quibuſdam ferramentis, quorum dicit partem ſummam debere eſſe latitudine parui Oboli. πλατὺ ἔςω ὡς ἐπὶ ὀβολοῦ μικροῦ.

Iulius autem Pollux auctor eſt, Athenienſes drachmam quandam vocare craſſam conſueuiſſe. itaque dixerim, Obolos paruos fuiſſe Atticos, & minorem drachmam ſimiliter Atticam: quoniam Athenienſes craſſam drachmam vocabant, nõ quæ eorum erat, ſed Æginæam, quam ob Æginetarum odium nolentes nomine proprio appellare, craſſam nuncupaſſe ipſe I. Pollux aſſeruit. cum autem dicit idem auctor, continuiſſe decem Obolos Atticos, intelligi debet, ſex quidem ſolum continuiſſe, ſed tantæ craſſitudinis, vt decem Atticos æquarent, in quam ſententiam videtur etiam Budæus tranſiuiſſe lib. 4. de aſſe. propterea Hippocrates lib. de ſuperfæt. Oboli æginæi men

S tionem

tionem fecit, qui videlicet crassior esset, quã Atticus, quem alibi paruum Obolum appellauerat. ac fortasse iidem Athenienses, ut Aeginæam drachmã, quæ Attica maior erat, nominare non dignabantur, sed crassam dicebant, ita quoque Talentum magnum ipsum Aegineticum dixerunt; quod Atticum superabat; denominationem ab Aegina, propter idem odium, despicientes.

Ex quibus colligi potest, denarium Romanum *tam uetustum, quam nostri temporis, Aeginetarum potius, quam Atheniensium drachmæ parem, et ipsa Attica drachma quatuor obolis maiorem esse. Romanis uidelicet Aeginetarum potius decantatam magnificentiam, quam sordes Atheniensium æmulantibus.*

Rursus Drachma ternos scrupulos, scrupulo uero obolos contineri binos omnes affirmant. ergo erratum est in Isidori Hispa. Codicibus, in quibus scriptum est de scrupulo. Hic apud Græcos Dramma vocatur. non ignorauit auctor, Drachmam scrupulis tribus constare, dixit enim. Sed librarij lapsi sunt, qui D. pro G. sine dubio scripserunt. Scribendum enim fuit, Hic apud Græcos Gramma uocatur. quod uerum est. hoc, inquam, librariorum erratum est. illud uero ab auctore commissum: qui talentum dixit apud Romanos esse L X X I I. librarum, sicut Plautus ostendit, qui ait duo Talenta esse CXLIIII. libras. hic uero notandum est primum, Talenti uocabulo Romanos uti non consueuisse, & Plautum, cum de Talento loquitur, sermonem de Romanis non habere, sed de Græcis: propterea tum talenti, tum mi-

næ crebra apud eum mentio eſt. deinde perperam dictum eſſe, in Talento libras ineſſe ſeptuaginta duas, quod Plautus dixerit in duplici talento ineſſe centumquadragintaquatuor, Plauti locus in Moſtellaria eſt (vt puto) vbi Philolaches adoleſcens dicitur, Daniſtæ cuidam quadraginta quatuor minas debuiſſe. ſcilicet, quadraginta pro ſorte, & quattuor, pro fænore. Tranio vero ſeruus rem agere adoleſcentis inducitur, illius patri ſuaſor, vt quadragintaquatuor illas minas ſolueret Daniſtæ. quod e ſententia cum non ſuccederet, ac fingeret datas quadragintaquatuor minas raboni pro ædium emptione, dicebat ſeni ędes illas emptas a filio eſſe Talentis magnis duobus, cumque datæ eſſent arraboni quadraginta, reliquum erat, ut octoginta ſoluerentur: quia videlicet talenta duo, minas continebant centumuiginti. quamobrem conijcimus in Iſidoro erratum eſſe, quoniam pro ſexaginta LX. ſcriptum eſt, ſeptuaginta L X X. & pro centumuiginti C X X. ſcriptum eſt, centumquadraginta C X L. ſed hac quoque parte poſſet librarius culpari. poſtremoq́ (qui error eſt auctoris non dubius) male in talento poſitas eſſe minas duas ſupra ſexaginta, & in duplici talento quatuor ſupra centumuiginti (ſumo enim reſtitutum eſſe uiginti pro quadraginta) nam illæ apud Plautum quatuor ſupra quadraginta, debebantur nomine fęnoris, & in ædium æſtimatione datas quadraginta arraboni dicit, non autem quadraginta quatuor. quamobrem additis octuaginta conficiuntur dumtaxat centum uiginti non autem centum uigintiquatuor: non enim animaduertit Iſidorus quatuor pro fænore debuiſſe.

S 2 Hic

Hic autem Plauti locus docet, in magno talēto fuisse minas sexaginta, quot erant in Attico uocato. vt statuēdum sit, magnum & Atticum minarum numero fuisse paria, alterum uero ab altero pondere superatum, ut ante dicebamus, uidelicet, Atticum ex minis paruis constitutum, quæ continerent, Atticas drachmas, & obolos paruos ante dictos: magnum uero ex totidem quidem minis, sed maioris æstimationis, quia ex Aegineticis, siue, vt Athenienses dicebant, Crassis drachmis, & Aegineticis obolis constitueretur.

Lumborum descriptio, & vsus. Aristotelis super ea re sententia notatur.
Cap. VII.

I*Nuitauerat me sermo quidam mecum habitus a pio quodam, & valde docto presbytero ad scribendum pauca nonnulla de lumborum natura. Ea vero cum aliquid viderentur continere non penitus vulgatum, & philosophorum sermonibus tritum, visum est in medium proferre, vt peritiorum quoque iudicium interponatur.*

Lumbi vocatur pars illa corporis, cuius fundamentum atque stabilimem sunt quinque illę dorsi vertebræ, quæ thoracis vocati vertebras sequentes ossi sacro incumbunt. dixi quinque, & si scio sex aliquando inueniri: quoniã sermo nobis est de corpore humano: neque enim ignoro, quæ de cane & simia rei anatomicę auctores tradiderint Hisce autem quinque vertebris intrinsecus musculi adhærent, quos ψόας Græci appellant: ita enim vocauit Hippocrates lib. de articulis. antiquiores autem, qui Cnidias sententias scri-

pserunt ἀλώπεκας uocarunt, ut Rufus Ephesius au-ctor est: alij νευρομήτρας nuncuparunt. a iecinore uena caua, a corde magna arteria profecta, descendensque secundum dorsum, in penultimam desinit lumborum uertebram. musculis antedictis renes incumbūt, & quatuor superiorum, quę in lumbis sunt, uertebrarum spacium sua magnitudine exęquant: & uenę cauæ, magnæque arterię annectuntur, productis ab utriusque trunco ramis dextra & sinistra, quibus utraque in utrumque renem dispergitur. quos ramos medici recentiores uocarunt emulgentes tum uenas, tum arterias. dextra parte uenę cauæ sub ipsa emulgente oritur seminaria uena dextra, arteria uero seminaria dextra ex arterię magnę regione eadem proficiscitur, utraque descendente ad testiculum dextrum: sinistra uero seminaria uena & arteria desinunt quidem in sinistrum te stem; sed arteria ex magnæ arteriæ trunco, uena autem non ex uenæ cauæ trunco, sed ex sinistro ramo. seu malis dicere ex sinistra emulgente uena proficiscitur a renum parte concaua urcteres dicti in uesicam progrediūtur. sunt præterea musculi exteriores, quos etiam ψόας appellari existimans Clitarchus (legitur Clearchus apud Pollucem lib 2.) a Rufo reprehensus est. est præterea sua medullæ spinæ in lumborū uertebris portio, & per earundem processum foramina, ut in superioribus quoq; uertebris, sui tum nerui, tum arteriæ, atque uenæ descendunt. Cute omnes hæ, ut etiam reliquæ internæ corporis partes, uallantur.

Harum omnium partium, quæ una lumborum appellatione intelligi possunt, unus aliquis communis usus explicatus non est, quod ego nouerim; sed cum osium sit proprius quidam & suus, musculorum item

uenarum & arteriarum item, medullæ item, & neruorum, similiter & renum; propterea sigillatim, & seorsim usum in ossibus, uenis, arterijs, & cęteris quęsitum eſse ab auctoribus, & explicatum uidemus, non autem generatim in lumbis, est tamen venæ, & arteriæ, quæ priori loco dictæ sunt, vsus quidam præcipuus, & cęteris dignitate sic excellens, vt ad eum quoque significandum proprio fere iure lumborum appellatio vsurpetur, proinde atque natura ob eam unam caussam lumbos fabricata sit.

Generatio naturale maxime opus est. hæc autem vasa, ob id uocata seminaria, semen ad generandum ministrare animali, communis, & ualde probabilis sententia est: in eis enim albescens quidam humor reperitur, quod semen est, vt aliqui uolunt, aut certe paulo ulterius progressum futurum est, nam ad testes vbi peruenit, semen iam confectum esse negatur a nemine. quamobrem existimo non immerito dictum eſse, libidinis in ea parte originem positam. nam ex alimenti copia distentis uenis, & arterijs, seminis proijciendi cupido inde nasci perspicue sentitur. & dormientium pollutiones in lumbos cubantibus potissimum accidunt. Lumborumq; leuamen proiectu seminis crebro fieri compertum est, non secus quã extremo intestino, atque uesicę, copia excrementorum distentis, contingit, namque hinc ventrem deijciendi, illinc lotium reddendi libido naturaliter prouenit, & parte utraque, excremento reddito, tamquam onere leuata, insigniter animal recreatur.

Quod uero Aristoteles libro tertios de partibus animalium dixerit (nescio autem an alius quispiam hunc locum expẽderit) dorsum τὸ νῶτον *carnosum, lumbum*

uero τὴν ὀσφὺν ex carnem esse, quoniam flexus omniũ ex carnes sunt; eo probandum non uidetur: quod existimando dorsum plus habere carnis, quam lumbos, sensibus; quibus fidendum in huiusmodi rebus docuerat; repugnauit. etenim habent lumbi musculos insignes externos, et internos ijs, qui sunt in superiori dorsi parte, nequaquam amplitudine inferiores.

Neque etiam prouidit natura, vt Cordi sola caro præsidio esset, quamobrem dorsum lumbis carnosius esse debuerit, quod uidetur ipsi Aristoteli persuasum fuisse; sed Costarum etiam quasi uallum, multo validius carne, illi circumiecit. quapropter tanta carnis circa cordis regionem moles, quantam fortasse ille arbitrabatur, necessaria non est. sicut etiam, quòd flexionis usum lumbi præstent, carne carere non debuerunt: quoniam nõ impedit semper flexionem caro, sed ossiũ continuatio inflexibilis. qualis etiã non est illa spinæ pars, quæ proprie ab Aristotele dorsum uocatur, & duodecim uertebrarum annexione constat, tamen ea non bene flecti potest, quod obstat os pectoris inflexibile. Ceruix autem flecti potest, quia licet carnem habeat, nullum tamen illi os obsistit. quod lumbis quoque contingit, qui etsi carnem habent multam, estque e regione abdomen non ex carne, quia tamen os nullum oppositum est, flectuntur facile.

Verum quidem est, debuisse in alijs corporis articulis minus esse carnis, quam extra ipsos, quia flexus per singulos illorum fiunt, qui ab opposita carne, si multa esset, prohiberi possent; sed alia spinæ ratio est, quæ non ita moueri debet, vt singulæ uertebræ seorsim flecti, reliquis

 tum

tum in superioribus, tum inferioribus immotis per se manentibus, debeant aut possint, vt in alijs ossibus cernere licet: sed vniuersa per modicam omnium simul vertebrarum inclinationem necessario flectitur, cui motioni caro nullum afferre potest impedimentum. Illud quidem arridet, quod Aristoteles innuit, lumbos ad flectendum institutos esse: nam eorum flexionis vsus cum plurimus est, tum vero ad generandum maxime necessarius: quo scilicet mas ita curuari possit, vt in feminæ vterum queat semen proijcere.

Ex his autem ratio intelligitur (hac enim pertinebat viri sermo doctissimi) illius veterum περιφραστικῆς καὶ ἱερᾶς λέξεως *Lũbos præcingere, et succingere: quod idem est ac pudicitiam seruare, & libidinem auersari. Origenes (expedit enim viri vti testimonio antiquissimi) Hom. 1. in illud Psalmi. 37. lumbi mei impleti sunt illusionibus, rem totã paucis perstrinxit inquiens, in renibus, vel in lumbis humanorum seminum receptaculum esse dicitur, ex quo illud genus indicatur peccati, quod per libidinem geritur.*

Plinij loca quædam ad Chronologiam pertinentia emendantur. Cap. VIII.

DVm meam rerum naturalium Chronographiam versarem, errata quædam à librarijs, vt arbitror, commissa in Plinio detexi, atque hunc in modum emendbaui. Romam conditam esse olympiade septima ineũte, a probatissimis auctoribus proditum est. cum autem olympias capiat annos quatuor, numerus olympiadum quater sumptus conditę

vrbis

vrbis annis respondet, sed vigintiquatuor detractis, quos capiunt sex illæ olympiades, quę ante vrbem conditam actę fuerant. quam rationem Plinius sequi videtur: nam libri secundi capite octauo inquit, natura Veneris primus Pythagoras deprehendit olympiade circiter quadragesima secunda. 42. qui fuit vrbis Romæ annus centesimus quadragesimus secundus. 142. Si igitur 42. quater accipias, conficies. 168. ex quibus si demantur. 24. reliqui sunt. 144. qui olympiadas 42 integras efficiunt. Plinius autem non dixit 144 quia voluit significare illud accidisse non postremo anno olymp. 42. qui incideret in annum vrbis. 144. sed altero, qui in. 142. incidit.

Rursus, eiusdem libri capite duodecimo, Eclypsis, inquit, rationem inuestigauit primus omnium Thales Milesius olympiadis quadragesimæ octauę. 48. anno quarto. prędicto solis defectu, qui sub Astyage rege factus est vrbis conditę anno centesimo septuagesimo. 170. at olympias 48. Complectebatur annos centum nonaginta duos. 192. e quibus demptis vigintiquatuor. 24. reliqui sunt centum sexaginta octo. 168. igitur anno vrbs. 168. ea Thales commentabatur, & eclypsim post biennium futuram prædixit, anno urbis 170. vt ex hoc etiam intelligatur, Plinium in ętatibus distinguendis hanc rationem secutum esse.

His positis, concluditur mendum esse in capite vicessimo quinto eiusdem libri, vbi scriptum est, Cometæ iubam in hastam esse mutatam olympiade centesima octaua. 108 anno vrbis trecentesimo nonagesimo octauo. 398. erratum est, inquam: quoniam olympiades.

piades. 108. annos capiunt. 432. detractis autem. 24. remanent. 408. non autem 398. ac fortasse cum scriptum esset altero notarum genere CCCCVIII. imprudẽs aliquis inseruit literam. X. ante quartam C. quæ denarium de centenario demendum indicat; scripsitque hunc in modum CCCXCVIII. errore non dubio.

Libri trigesimi quarti capite secundo erratum esse argumento eodem colligimus. ait enim, Corinthum captam olympiadis centesimæ quinquagesimæ sextæ 156. anno tertio, vrbis sexcẽtesimo octauo. 608. Hic autem non quæram, vter melius, hoc loco Plinius, an Pausanias in Achaicis, qui captam. Corinthum tradidit olympiade centesima sexagesima. sed mendum esse affirmo in olympiadum, & vrbis annorum comparatione: nam olympiades. 156. annis constant. 624. vnde subtractis. 24. (vt iam faciundum in hac comparatione sumsimus) relinquuntur. 600. sed quia non erat integra olympias. 156. erat enim tertius duntaxat illius annus, quando capta Corinthus est, vt Plinius scribit; de 624. detrahendi sunt. 25. vt reliqui sint quingenti nonagintanouem (atque ita legendum est hoc loco) quos si hunc in modum notemus DXCVIIII. apparet quam facile in DCVIII. degenerare potuerint.

Eadem nos ratio docet, peccatum similiter esse in eiusdem libri capite octauo: nam de Phidia verba faciens inquit, Floruit olympiade octogesima tertia 83. circiter trecentesimo. 300. nostræ vrbis anno. ferri hoc quidem posset, quia dictum est, circiter. sed si ratio prædicta seruanda est, olympias. 62. absoluitur

cum

cum anno vrb. 308 . nam Olympiades. 83. annos continent. 332 e quibus si demantur dicti. 24. remanent. 308. atque ita scribendum esset. propterea etiã libri tricesimi sexti capite quinto mendam deprehendimus, cum in sermone de Phidia rursus Olympiadem nominauit Octogesimam tertiam. 83. urbis uero an[illegible] trecẽtesimum tricesimum secundum. 332, perinde, atque idem Olympiadum esset, & annorum vrbis initium. namque Olympiades. 83. annos æq[illegible]ant. 332. at hoc neque cum alijs auctoribus, neque cum alijs ipsius Plinij locis conuenit: quia, vt ante dixi, Olympiades ante vrbem conditam sex numerantur. itaque pro. 332. reponere oportet. 308.

Insuper libri eiusdem sexto capite male scriptum est, Mausolum Cariæ regem obijsse Olympiadis centesimæ. 100. anno secundo. Vrbis anno trecẽtesimosecundo. 302. hoc enim longissime omnium a scopo distat. nam Olympiades. 100. annos continent. 400. demtis vero iam dictis. 24. supersunt. 376. cui annorum vrbis numero Olympias. 100. debet respondere. Sed quia Rex ille dicitur obijsse altero anno Olympiadis. 100. non autem postremo, qui respondeat. 376. ex ipsis. 376. duo subtrahendi sunt, ut fiant solum. 374. qui annorum urbis numerus cum secundo centesimæ olympiadis anno conueniat. atque hoc in loco pro trecentesimo secundo legendum est trecentesimo septuagesimo quarto. nisi quis aliter erratum existimet: nam Diodorus lib. 16. Mausolum tradit perijsse anno 4. Olym. 106. M. Fabio, & M. Popilio Coss. (quę uero exemplaria Põpiliũ habent, mẽdo laborãt)

qui

qui Coſs. apud Liuium fuiſse anno vrbis leguntur 398. alibi vero. 397. ac fortaſſe Plinium ſcripſiſſe, Olympiadis centeſimæ ſeptimæ anno ſecundo, vrbis anno quadringenteſimoſecundo. Sed hoc non poteſt ad vnguem ſic explicari, quin remaneat aliquis dubi tationi locus. vulgata lectio emẽdanda eſt, vtra emẽ datio ſit præferenda prudens lector æſtimabit, & iu dicium feret. hæc apud Plinium occurrebant in Olympiadum, & vrbis conditæ annorum comparatiotione: nec plura his forte apud illum huius generis reperientur.

Inſperatę ſanitatis exemplum ſingulare. Cap. IX.

F*Ortuito ſucceſſu bona & mala ægrotis euenire, Cum vſus docet, tum ab Hippocrate ſcriptum eſt (ſi liber Hippocratis eſt) libro, qui iam vulgo primus de morbis inſcribitur.*

Magnæ in hoc genere felicitatis exemplum eſt, quod Romæ contigit anno Domini M. D. LXXI. & a præcipuis aliquot & nobilioribus vrbis medicis viſum eſt, cum & ego adhuc inter tyrones intereſſem.

Plebeia diu quadã ægrotauerat femina febre perpetua ac debili, duroque imi uentris tumore. Febrem hecticam vocabant. vnde ille eſſet tumor non facile inueniebatur, quando eam utero gerere nihil amplius ſuadebat. deſperata res dicebatur. tamen ſic inſperanti ſalus aduenit, poſt quam uia, qua uenter deijcitur, fœtus humani carnes in fruſta diuiſę, & oſſa ſeparata

(quæ

(quæ tumoris illius materies fuit) sponte naturę exiuerunt.

Sepulcrum diu fuerat uterus fętui, priusquam nasceretur, defuncto, nec poterat cadauer reijci, qua naturaliter debebat. aliam vel cum periculo uiam natura aggressa est. Coaluit recto vterus intestino, vlcus commune ac peruium sponte factum aditum ad intestinum carnibus putridis, atque ossibus præbuit, quę per auersa corporis egressa sunt, Vtero igitur hunc in modum purgato, mulier pristinæ valetudini restituta diu vixit, & adhuc fortasse viuit.

Alioqui quot quot nouimus, vlceribus huiusmodi intra corpus exortis, vel alui excrementa per vterum, aut per iter vrinæ reddidisse, vel, coalito vesicę vtero, pus & cruorem ab vtero exulcerato venientem per vrinę iter emisisse, morbi eius violentia perierunt. Albucasis lib. 2. c. 76. testatur se mortui fætus ossa per mulieris vmbilicum exemisse, illamque superstitem fuisse.

In Germanorũ historijs notatum est, anno 1550. infantis mẽbra, iam diu putrefacta, ex vtero a chirurgis extracta mulieris, quę onus hoc integrum quadriennium, post quam parere debuerat, interim cum morte semper colluctans, gestauerat. quæ tandem onere deposito pristinę valetudini reddita est. id vero proditum est, Viennæ Austriæ accidisse.

Maliensis casus apud Hippocratem lib. quinto epidemion explicatur. Cap. X.

Exercemus nos aliquando in illustrandis, atq; explicandis locis quibusdam Hippocratis obscuris & dif-

& diff.cilibus. nostri autem huius studij, vel diligentiæ specimen exhibemus notas quasdam ad Maliensis historiam ex quinto libro Epidemion. quę, nisi recte intelligatur, magni erroris caußam praebere potest, & chirurgiam vetustissimi illius seculi rem fuisse immanem ac barbaram, minimeque ferendam demonstrat,

Ὁ μαλιεὺς, ἅμαξα αὐτῷ ἐπῆλθε ἄχθος ἔχουσα, ἐπὶ τὰς πλευρὰς, καὶ κατῆξε τῶν πλευρέων. καὶ χρόνον αὐτῷ ὑπέστη κάτωθεν τῶν πλευρέων. ὑπὸ τὸν σπλῆνα καυθεὶς, ἔμμοτος ὢν, ἀφίκετο ἐς δέκα μῆνας. ἀνατμηθὲν τὸ δέρμα. ὅπη ἐφάνη ἐς τὸ δέρτρον ἐπὶ θάτερα ἀφίκουσα, καὶ πρὸς τὸν νεφρὸν, καὶ πρὸς τὰ ὀστέα ἐπῆλθε σαπρά. τούτου ἡ τε σχέσις τοῦ σώματος παρέλαθεν ἐπίχολος οὖσα. καὶ ἐν τῷ σώματι ἡ στηπεδὼν ξηρὴ τοῦ δέρτρου πολλὴ, καὶ ἄλλων σαρκῶν, ἃς ἔδει αὐτίκα ἐκβάλλειν, εἴ τις ἐδυνάτο, ξηρῷ φαρμάκῳ ἕως ἰσχὺν τινα εἶχεν ὁ ἄνθρωπος. ἀπὸ γὰρ τῶν ὑγρῶν οὐδὲν ἐπεδίδου, ἀλλ' ἐσήπετο. ἀπὸ δὲ τῶν μοτῶν ἰσχομένου τοῦ ὑγροῦ ῥῖγος ἐλάμβανε, καὶ πυρετὸς, καὶ ἐσήπετο μᾶλλον. ἐπέρρει δὲ αὐτοῦ σαπρὸν τι ὑπομέλαν δυσῶδες. πρὶν δὲ ἐπιχειρέειν ἰητρεύεσθαι, οἷον ἑκάστης συχνὸν διεπέρα ἔξω. ἦν δὲ οὐκ εὔροον. ἐγνώσθη τὸ εἶναι πορρωτέρω τὴν φύσιν τοῦ νοσήματος, ἢ ὑπὸ τὸ δέρμα. πάντα ἂν ὀρθῶς πάσχων, ὅμως οὐκ ἂν ἐδόκεε σωθῆναι. καὶ διάῤῥοια κ' ἂν ἐπέλαβεν.

quod est, Maliensis. Currus illi superuenit, onus habens, in costas, & fregit costas, ac tempore illi substitit pus infra costas. sub splenem vstus, ulceratus existens, peruenit ad decem menses, resecta cutis. cauerna apparuit in abdominis carne ad alteram partem accedens. & ad renem, & ad ossa processit putrida. huius habitus corporis latuit

biliosus existens, & in corpore putredo sicca abdominis carnis multa, & aliarum carnium, quas oportebat statim eijcere; si quis potuisset sicco pharmaco: donec robur aliquod habuit homo. ab humidis enim nihil restituebantur, sed putrescebant. a linamentis vero cum humidum retineretur, rigor occupauit & febris. & magis putrescebant. affluebat autem illius aliquid putrefactum, subnigrum, mali odoris. ante vero aggressionem curationis fere singulis diebus multum foras penetrabat. erat autem non probe fluidum. innotuit, morbi naturam magis remotam, quam subter cutem. Si etiam omnia recte facta essent, tamē non videbatur seruari potuisse, etiamsi ventris profluuium corripuisset. hæc ait. quæ ad verbum transtulimus.

Huius igitur narrationis sententia primum explicanda est, deinde verborum vis expendenda, vt hæc interpretatio, quatenus vulgatæ dissimilis est, intelligatur.

Itaque videtur nobis de hoc ęgro dicta quædam esse, quæ viuenti acciderunt, quædam vero, quę non nisi de defuncto intelligi possunt. viuo contigit, vt ab onusto curru costę frangerentur, quamobrem pus obortum, quod intus retentum, abdominis carnem putrefecit, & exulcerauit. ante curationem quotidie pus exibat multum, sed non probe fluidum. in curatione, vstus est sub splenem, humida pharmaca iniecta, linamenta demissa, a quibus suppressum pus rigorem excitauit, & febrem. & animaduersum est, illuc putridum quiddam, subnigrum, malique odoris adfluere; quamquam non dicitur. vnde adflueret. in hoc autem statu

greßus deprehensus est. at quis credat, tam immanem in viuo corpore sectionem factā esse, vt abdominis internæ partes, & renes, seu ex his alter, oculis adspici potuerint? debuisset enim abdomen inuerti, & necesse fuißet attollere, & versare intestina: quam immanitatem, vt viuens aliquis ferre possit, ne cogitationi quidem vllus est locus. Si sumamus autem cauernæ amplitudinem tantam non oculis sed specillo deprehensam: sectio si facta est in ventre, non potuit specillo dignosci cauernam ad renem pertingere. si in dorso, econtra non potuit specillo dignosci cauernam per abdominis carnem tam late progredi. Si in sinistra parte, vt esset verisimile; nam vstio quoque in eadem facta est; præter quam quod ita quoque difficillimum fuit cognoscere tam longe, lateque cauernam proficisci; quomodo latere potuit putredo, quę intra abdomen multa dicitur extitisse? Si hac ratione in viuēte tanta cauerna deprehendi potuit, etiā putredo discerni debuit: quæ cauernam ipsam necessario faciebat. insuper, linamentorum vsum fuisse noxium, si dum viueret cognitum eßet, cur, qui curabat, eo non abstinuisset? cur aptius medicamentum non adhibuisset? postremo non est existimandum, additū frustra, naturam morbi cognitam esse vlterius, quam putabatur, proficisci; sed eo significatum, quod qui curabat, medicus opinaretur, morbum tam intime, atque cognitum postea fuit, non penetrare. at nō cōuenit, sectione in viuo facta, tantaq; ob id cauerna deprehensa, ignoratum esse morbum vltra cutem procedere. his obruimur difficultatibus sumentes sectionem in viuente factam esse. quæ tolluntur omnes, si hæc post obitum accidisse intelligamus, vt

exposuimus, tunc enim optime cognosci potuit, tum morbi magnitudo quam late sub cute dispergeretur, tum quę in curatione omissa erant, aut temere adhibita.

Re vero sic percepta, colligimus, Hippocratem ad morbos cognoscendos in ægrorum cadaueribus incidendis, & contemplandis exerceri consueuisse; quemadmodum Aegypti Reges fecisse auctor est Plinius lib. 19. cap. 5. quod alibi quoque factum illa Ciceronis Lucullo demonstrant. Corpora nostra non nouimus: qui sint situs partium, quam vim quæque pars habeat, ignoramus. itaque medici ipsi, quorum intererat ea nosse, aperuerunt, vt ea uiderent: nec eo tamen aiunt Empirici notiora illa esse, quia possit fieri, ut patefacta, & detecta mutentur. hæc illi. quibus similia in Celsi proœmio legũtur, vbi de Empiricis sermo habetur. Hippocratem vero in ea re fuisse exercitatum Galeni testimonio manifestum est, a quo libri octaui capite primo de decretis Hippocratis & Platonis, enumeratus inter illos est, qui artem cadauera secandi, medicinę gratia, maiorum negligentia abolitam, instaurauerant, neque debet aliquis obijcere, in brutorum tantum corporibus non etiam hominum se exercuisse; quoniam si ea expendantur, quę ille de capitis vulneribus, & de luxatis ossibus diligentissime scripsit, persuasum nemini non erit, quin ille ossa hominum carne exuta sępissime inspexerit: atque ideo verba hęc, quę libro de ossibus leguntur: Cæterum vt nos ipsi in hominum ossibus didicimus: Hippocratis esse. nec obstat, quòd cadauera cremare mos esset; etenim quominus credamus, potuisse aliqua tandiu seruari, donec a medicis inspicerentur, nihil

est; quod efficiat. hæc de sententia narrationis propositæ.

In verbis autem illud primum notari debet: interpretem non recte illa uertisse, ἔμμοτος ἐὼν quum dixit; penicillis ac linamentis vtebatur: quoniam male vbique uocabulum ἔμμοτος accepit, quemadmodum vir doctissimus, ac medicus nobilissimus Alexãder Petronius egregie docuit tertio dialogo de re medica. ibi enim ostendit ἔμμοτον verti debere vlceratũ, idest vlcere affectum diuturno, & cauo, cuiusmodi a retento pure fieri solet, vt accidit Maliẽsi, de quo Hippocrates dixit, pus aliquod tẽpus substitisse infra costas & interpres, cum inquit, Vstus sub plenem penicillis ac linamẽtis vtebatur; videtur putasse, quod penicilli ac linamenta vstionis gratia adhiberentur, tamquam ustionis præsidium aliquod & medicina. cum e contra se res habeat: nam ustio remedium est huius generis vlcerum, quæ diximus: vt constat ex libro de natura muliebri; & secundo de morbis mulieribus: cum in priore, vbi sermo est de vuluæ conglutinatione, legatur, πολλάκις δὲ καὶ ἐκπυΐσκονται ἔμμοτοι γενόμεναι καὶ ῥεόμεναι ἀποθνήσκουσιν, ἢν μὴ καύσῃς, ἢ τάμῃς. quod est plerumq; autẽ & suppurãtur factæ, & fluentes moriuntur, nisi usseris aut secueris. in posteriore vero, de utero contingente coxam, scriptum sit, καὶ ἐκπυΐσκονται, καὶ ἔμμοτοι γίνονται, καὶ ὄλλυνται ἢν μή τι τάμῃς ἢ καύσῃς. & suppurantur & ulceratæ fiunt, & pereunt, nisi quid secueris, vel cõbusseris. ergo & Maliensis, quia erat, ἔμμοτος, idest, vlceratus a pure diu retento, vstione indiguit, ideo inquit Hippocrates, ustus est, cum esset ulceratus. καυθεὶς ἔμμοτος ἐών.

Resecta cutis) idem sensus est, atque si dicatur resecta cute, sed grece est ἀνατμηθὲν τὸ δέρμα *casu recto. est autem genus illud orationis ad breuitatem accommodatum, quod vocatur, Dissolutio.*

Cauerna apparuit in abdominis carne) interpres dixit, ad tenue intestinum, Grece est τὸ δέρτρον *quo vocabulo plura significari Didymus, & posteriores Grammatici tradiderunt. Suidasque auctorem habet Psellum, quod apud Hippocratem significet intestinum tenue, cuius sententiã interpres secutus est; sed huic loco non videtur hæc interpretatio conuenire: quoniam reliqua Hippocratis oratio carnem fuisse indicat, legitur enim infra, putredo multa* τοῦ δέρτρου *& aliarum carnium, ergo &* τὸ δέρτρον *caro est itaque magis quadrat; quod ab Eustathio traditum est odyss.* Λ. *Dorienses hoc vocabulo significare carnem, quæ sub cute aluum circundat. propterea carnem abdominis vertimus. est enim sensus, carnem retento pure putrefactam magis, atque vlceratam esse vehementer, quod vlcus; secta cute visum est a sinistra parte, vbi origo mali videbatur (propterea enim vstum esse sub splene putandum est) ad dextram procedere: & quia cauernosum erat, vt illa esse solent, a quibus* ἔμμοτοι *dicuntur, cauerna dicta est ab Hippocrate.*

Putredo sicca. Σηπεδὼν ξηρὴ) *aliqua exemplaria habent vocem* ξηρὴ *quod forte aliquis perperam philosophatus, putredinem ex humida esse materia, censuit mentionem siccæ putredinis absurdam esse; sed errore, nam Hippocrates libro secundo prædictionum non solũ siccam, sed et siccissimam dixit. Nomæ letalissimæ sunt, inquit, quarum putre-*

dines

dines profundissimę, & nigerrimę, & siccissimæ sunt: σηπεδόνες ξηρόταται. immo huiusmet libri initio in historia Phœnicis siccam similiter putredinem commemorauit. & Aristoteles lib. 4. Meteor; sicciora, inquit, fiunt, quæcumque putrescunt & tandem terra & fimus.

Aliarum carnium, quas oportebat statim eÿcere) ἐκβάλλειν. at in vulgatis legitur ἐμβάλλειν quod est iniÿcere, sed interpres secutus est manu notata, quæ habent ἐκβάλλειν, & vertit eÿcere quod vocabulum in simili sententia legitur in libro de vlceribus. Quum vero compesci non poterit caro, quę humida existit, caussa est, ut hanc eÿcias. αἰτίη ἐστὶν ταύτην ἐκβάλλειν.

Nihil restituebantur, sed putrescebant) Gręce uerbum est singulare, οὐδὲν ἐπεδίδε, ἀλλ᾽ ἐσήπετο. plurali tamen transtulimus, quoniam aptius hæc de carnibus dicuntur, quam de homine. est enim ratio, cur eÿciendę fuissent carnes sicco pharmaco: quoniam uidelicet humidis non restituebantur, sed putrescebant. si quis tamen malit hęc singulari numero coniungere uoci ἄνθρωπος, non moror. me certe non moueret, quod Græcis in usu fuerit, neutrum plurale tantum singulari uerbo coniungere: nam etiam femininum aliquãdo hunc in modum usurpatum notauimus, ut apud Nicandrum Theriacis, αἱ φλύκταιναι τελέει πόνον.

Erat autem non probe fluidum) quippe sicca erat putredo, ut ante dictum est.

De Serico & Bombycina. Ad Aloisium Rodulphum Iurisconsultum.

Cap. XI.

Nolui, Aloisi, has lucubrationes in lucem prodire, nisi testata iterum in vulgus facerent veterem nostram & beneuolentiam, & necessitudinem. cui uero tuum nomen inscriberem diu anceps fui, cum quid te dignum foret statuere non auderem: sed fecit demum auctoritas iuriscosultorum, quos necessario in hac tractatione commemoraui, vt caput hec de serico tibi dicarem: hac vna ratione arbitratus meum consilium probatum iri, quod rem eandem viri doctissimi, & iuris prudentia inprimis admodum celebres, studiose tractauerant. cur autem id fecerint, & an id conducat ad intelligendum, quæ de vestimentorum generibus ab Vlpiano tradita sunt, tuum est iudicare, & cognoscere. Setam vulgo appellamus licij genus, quod deducitur ex tunicis illis ouorum figura; quarum aliæ flauæ sunt, aliæ albæ; aqua calida lentescentibus: quas galetas Traspadanæ quędam gentes appellant: & vermes quidam erucarum figura; quorum albi sunt alij, nigrescunt vero alij; (cauaglieri ab ijsdem populis vocantur) more araneorum texendo sibi circumquaque confingunt. e quibus postea tunicis, si seruentur, nec macerentur aqua (seruantur enim aliquæ ad sobolem) non adeo multo post tempore albus oritur papilio, e quo paullo

lo post, quam egressus è tunica est, semen nouorum vermium, quod in sequentem seruatur annum, effunditur.

Est autem mos Italarum mulierum, quibus curæ ea res est, vt sole Taurum transeunte, id semen linteo inuolutum intra vestes naturali calore foueant: quamobrem paucorum dierum spacio vermes ex illo nascuntur; fimi autem calore excludi Precopius testatur; nos Romæ solo Cæli tepore nasci vidimus. primo ortu minimos vermes, ac formicis minimis vel potius pediculis similes cernas: spacio autem menstruo ad iustam magnitudinem, quæ digitali paullo minor est, crescunt; folijs Mori nutriuntur, quę alibi vt plurimum nascitur nigra, vt in Latio, alibi alba, vt in Gallia Cisalpina. rodunt folia non aliter, quam erucæ. ab ortu primo ad summum incrementum quater a cibo cessant & dormiunt: quoties a somno excitantur toties extimam cutem instar anguium deponunt: ac deinde cibum resumunt, excrementum illorum nigrum, primis diebus rotũdum et perexiguum, postea maius & angulare. post quartam vigiliam triduo aut quatriduo cibum sumunt; deinde fastidire incipiunt, & nitore quodam contracto tenuissimum ore filum (quę seta est) emittunt. tunc mulieres confestim illos, qui sic affecti sunt, ab alijs secernũt in compositum locum ramis, & sarmentis sylvę instar instructum: vbi tunicas dictas artificio admirabili conficiunt. Sed interim magna diligentia tueri eos a frigore necesse est, alioqui magna iactura intereunt. famem non ferunt. casu etiam quodam; siue aeris, siue loci, siue cibi uitium sit, pallescunt, & tumescunt, & quasi pestilentia moriuntur. ita

nullum est viuentium genus, quod suis quibusdam morbis obnoxium non sit.

Hoc ex licio, seu filo telæ pro texturæ varietate diuersæ texuntur, diuersisque nominibus appellantur. Taffeta. Ormisino. Raso. Damasco. Velluto. & aliæ quædam. e quibus fiunt vestes non tantum muliebres sed etiam viriles, quibus plebem quoque vestiri iam indignum non videtur. Fit, inquam, Seta deducto licio ex illis tunicis aqua maceratis. sed cum pars crassior remaneat, quę tantam tenuitatem recusat, ea pectinibus ferreis in lanę speciem distrahitur, tum lanæ seu lini instar netur, & deinde texitur, fitque genus aliud telæ vilioris, quæ vulgo appellatur, Filatticcio. Hæc ita se habent. Iam vero quęritur, vtrum hoc fili genus idem sit, quod veteres Romani sericū dixerunt. idem esse vulgo, & naturali consensu potius quodam, quam firmis rationibus receptum video. at non eße viri nonnullis docti diuersis rationibus existimarunt. præcipue autem A. Alciatus A. ab Alexandro. L. Bayfius, quorum sententiam, quoad fieri potest, diligenter examinandam hic sumsimus, vt res hæc apertius, quam hactenus, percipi possit. Alciatus in notis ad librum secundum Cor. Taciti inquit, Arcadij principis constitutione Sericobaptæ vsus priuatis hominibus prohibitus est, vt fere suspicer, sericas vestes non esse, quibus vulgo vtimur. quia scilicet pretium antiqui serici; cuius libra veniebat auri libra; vt Vopiscus in Aureliano scripsit; non est conferendum cum pretio nostri serici. hæc ait Alciatus. sed eius suspicio, vt leuissima, nullo negocio amoueri potest. nam fuit, vt postea dicetur, cum non aliud in Italia sericum esset, quam quod ex India

con-

conuchebatur: cuius etiam ortus in Europa ignotus erat, quæ satis idonea caussa esse poterat, ut tunc esset multo, quam nostro tempore, pretiosius, cum iam nota sit illius origo, & per vniuersam Europam diuulgata illius conficiendi ratio, & facultas. Alexander ab Alexandro lib. gen. 4. cap. 9. Mirari, inquit, succurrit, quod Procopius Græcus auctor litteris, & monumentis recentium historiarum prodidit, Iustiniani temporibus commentum hoc Serici solerti ingenio quęsitum, primum in Italiam allatum fuisse, cum antea incompertum foret, & incognitum. cuius dicto licet coniectari, Sericas uestes ex uermiculis, quales hodie uisuntur, apud prius seculum, & veteres Romanorum non fuisse, licet bissus, & purpura, ac uestes Sericæ, dissimili uidelicet licio contextæ omnium sermonibus celebratę sint, quod ex frondium canicie depectunt Seres. hæc ait. verum ex eo, quod Iustiniani temporibus Serici commentum nostris hominibus primum innotuit, non sequitur, Sericas antiquorum uestes non fuisse quales hodie visuntur: nã etsi origo ante Iustiniani tempora nostris incognita fuit, quod Procopio credimus, & Zonaræ dicenti, uermiculorum semen sericum facientium a monachis quibusdam ex India Constantinopolim Iustiniani tẽpore aduectum: attamen potuit uel ipsum sericum filum, uel tela serica prioribus seculis in Europam comportari. quod neque Procopius, neque Zonara negauerunt.

L. Baysius lib. de re uestiaria Setam hodie uocatam fere credidit non Sericum esse, sed potius Bombycum artificium. Consideranti uero, inquit, mihi, atque animum conuertenti ad ea, quæ Plinius de Coa

Bom-

Bomby ce scriptum reliquit, isti uermiculi, quos apud sororem nutriri vidimus, ij ipsi sunt, qui Bombyces a Plinio describuntur. cuius verba obsecro te, candide lector, mecum etiam, atque etiam considera: etenim si v erum est, falluntur, qui sericum putant esse, quam vulgo setam dicimus, quamque conficiunt isti vermiculi, qui passim in Italia, & Gallia lanicij causa nutriuntur. verba Plinij hæc sunt. Fieri autem primo papiliones paruos, nudosque, mox frigorum impatientia villis inhorrescere, & aduersus hiemem tunicas sibi instaurare densas, pedum asperitate radentes foliorum lanuginem in vellera. hanc ab ijs quoque cogi, subigique vnguium carminatione, mox tra bi inter ramos, tenuari ceu pectine, postea apprehensam corpore, inuolui nido volubili: tunc ab homine tolli, fictilibusque vasis tepore, & furfurum esca nutriri: atque ita subnasci sui generis plumas, quibus vestitos ad alia pensa dimitti: quæ vero cepta sint lanificia humore lentescere, mox in fila t enuari iunceo fuso. hactenus ille.

At mihi hæc singula perpendenti visum est, nihil omnino nostris hisce vermiculis cum Plinianis bombycibus conuenire. Plinius lib. secundo capit. vigesimosecundo de Bombycibus loquitur, qui in Assyria proueniunt. cap. autem vigesimotertio de ijs, qui in Co insula nascebantur, qui ab ante dictis satis distant, vt ipsa Plinij narratio demonstrat. Bayfius verba Plinij retulit, quæ de Cois bombycibus fecit cap. vigesimotertio, quos insuper dicit (hoc autem omisit Bayfius referre) nasci traditum, Cupressi, terebinthi, fraxini, quercus florem imbribus decussum terræ halitu animante. quo è flore primo fiunt

papiliones

papiliones parui, nudique, moxque frigorum impatientia uillis inhorrescunt; & aduersum hiemem tunicas sibi instaurant derasas.

Nostrorum igitur uermium longe alia ratio est. Origo non ex floribus, sed ex semine papilionis, qui papilio pariter non ex aliquo flore exoritur, neque sibi ipse nidum fingit, sed nido a verme ante constricto, & ipso verme in papilionem degenerante, ex ipso nido erumpit papilio, vti solet ex ouo pullus excludi. nec paruus & nudus nascitur, sed iusta confestim magnitudine, & villosus pro sui natura conspicitur: & nullo sumto cibo, semen effundit, deinde inutilis moritur. at Coa bombyx nutritur, vt Plinij uerba indicant, esca furfurum & plumis ortis ad alia pensa dimittitur: nec oua parere ad sobolem dicitur. & semper videtur esse papilio, cum in nostris ex ouo vermis, vel eruca primum fiat, deinde in papilionem transeat. est igitur diuersa natura illius Bombycis, & nostri uermiculi. opificium quoque diuersum est: nam Cous papilio pedum asperitate radit foliorum lanuginem in vellera; cogit, subigit, trahit inter ramos, postea corpori inuoluit: noster, non papilio, sed vermiculus, vel eruca non radit pedibus foliorum lanuginem, cogitque, sed ex ore proprio effundit, & pedibus ex ore trahit licium pulcerrimum, nec primum inter ramos, vnde sibi postea inuoluat, sed protinus seipsum includere suo lanicio aggreditur, sibique veluti tunicam circumtexit. igitur setę opifex uermis a Coa bombyce diuersus est.

Diuersus est quoq; ab Assyria bombyce cuius Plinius mentionem facit dicto cap. 22. ex lib. 5. Arist.

de

de hist. anim. dicens luto nidos fingere durissimos, in quibus, & ceras faciunt. quod in nostro non est. diuersus est etiam ab eo genere, de quo Plinius eod. cap. 22. inquit, origo e grandiore vermiculo, gemina protendens sui generis cornua. Hi erucæ sunt. fit deinde quod vocatur bombylis, ex ea necydalus. ex hoc in VI. mensibus bombyx. telas areneorum modo texunt, quæ bombycina appellatur. est quidem ea similitudo, quod etiam noster ex ore pedibus filum trahit ad telam, vt aranea, sed reliqua non conueniunt. nam qui bombycinam facit, est bombyx, non amplius vermis, noster vero vermis est, qui Setam trahit. bombyx fit e necydalo, hic ex bombyli, hic e vermiculo, nulla facta nidi, & seminis mentione. noster ex semine ortus in nido transit in papilionem, a quo semen venit. itaque non est audiendus Isidorus, qui lib. 19. originum, seras, & bombyces confundit. nec ij qui sericum seu setam nunc vocatam a bombycina non distinguũt, audiendi sunt. neque etiam ob dictorum virorum auctoritatem statuendum est, setam a Serico antiquorum diuersam esse.

Nunc videbimus, vtrum affirmare tuto possimus, Sericum idem esse, atque setam, quam dicimus.

Sericum a seribus Indię pepulis nominatum putatur: apud quos fili seu lanæ genus quoddam fuit, ab antiquis magni æstimatum. de quo ante Augusti Cæsaris ætatem, qui litteris aliquid mandauerit, auctorem noui neminem. qui vero Augusto rerum potiente floruerunt, ex præcipuis inter latinos dixit Vergilius, Velleraque ut folijs depectant tenuia Seres, & alibi, Ignoti facie, sed noti vellere seres. & Ouidius, Vela colorati qualia seres habent. inter Græcos autem

Strabo lib. 15. scribens de Indiæ felicitate partim ex Eratosthene, partim ex Nearcho dicit, arborum quasdam lanam producere ἐνίοις καὶ ἐπανθεῖν ἔριον. *& paulo post* τοιαῦτα δὲ καὶ τὰ σηρικὰ, ἔκ τινων φλοιῶν ξαινομένης βύσσου *vt hoc auctore serica tela fiat deducto ex arboris alicuius corticibus licio, aut vellere. dicit autem deinceps in eodem libro* σῆρας *Indię populos quosdam vocatos esse.*

Post eam ætatem frequentior est tum serici, tum vestium sericarum mentio, ita tamen vt vsque ad Galeni tempora (vt docte scripsit Hieronymus Mercurialis lib. 1. var. lect. cap 24.) rarum apud nostros sericum extitisse existimādum sit: quoniam Galenus ipse lib 14. methodi scriptum reliquit, id in vrbibus præsertim magnis Romanorum & penes opulentas mulieres extitisse, & appellari dixit. νῆμα σηρικὸν *posteriores circa Iustiniani tempora Græci* μέταξα *vocarunt.*

Hic autem dubitatio primum oritur, vtrum cum Vergilius dixit, Velleraque vt folijs depectāt tenuia seres; populos intellexerit, vt Plinius videtur intellexisse inquiens lib. 6. cap. 17. seres lanicio syluarum nobiles perfusam aqua depectentes frondium caniciem; an vermes, quorum opera lana ipsa serica constat. quod genus vermium Pausanias memorauit in fine sexti libri; quamobrem R Volaterranus Plinium notauit, quod seres pro populis acceperit; quasi ipsi populi depectāt ex arboribus id lanę genus, quod in illis sponte nascitur, non autem a vermibus fiat: quod esse falsum Volaterranus putauit. ego vero cum videam Strabonem Seras appellare populos quosdam

& vna serica commemorare, quæ fiant ex arborum lanicio quodam, vt ante retuli, nulla facta vermium mentione; Vergilium quoque feras pro populis accepisse existimo. præsertim quia non recte dictum esset vermes depectere: nam texunt ipsi in arboribus, quod homines postea depectant. ac puto Vergilio ipsi, immo Romanis omnibus, & toti Europæ & magna in parte Asiæ, ipsi tunc bosce vermes ignotos fuisse, alioqui Strabo illorũ mentionem minime neglexisset, qui Indiæ formicas, & Armeniæ Oripas non præter misit: Plinium quoque auctorem in his perquirendis curiosum & diligentem de his nihil dixisse; quoniam illos ignoraret, omnino censeo. mirorque Volaterrano dicenti vermiculos, qui passim in Italia sericum producunt, ex Scrinda ciuitate Iustiniani tempore (vt est auctor Procopius) delatos; Pausaniæ narrationem fabulosam non esse visam: inquit Pausanias in fine lib. VI. nascitur in eorum terra vermis, quem sereni græci, ipsi longe alio appellant nomine: magnitudine est id insectum dupla maximi scarabei, cætera araneo simillimum. Hoc seres accurate nutriunt, cellas illis cum æstiuas, tum hibernas apte fabricantes. Pedibus (habet vero octo, quot & aranea) sub arboribus textile opus facit. annos ferme quatuor panico alitur: quinto demum (neque enim longior contingit vita) viridem apponunt arundinem: quo pabulo bestiola illa maxime delectatur: eo satur sagina rumpitur. educunt inde è visceribus staminum volumina. hæc ait. ex quibus colligimus bosce nec ortum, nec figuram, nec ætatem, nec victum cum nostris vermiculis communem habere.

Solinus

Solinus etiam, & Ammianus Marcellinus Plinio subscribunt dicentes, sericum ex arboribus detrahi mentione vermium penitus omissa. itaque dixi hoc vermium genus vetustioribus illis latinis, & Græcis ignotum fuisse. & par est cum primum de eis sermo aliquis ad nostros ferri cepit, fabulam aliquam fuisse permixtam, quam secutus Pausanias fabulosam narrationem, quam retuli, nobis reliquit. Sed & Iulius Pollux recentior, quam Pausanias, sua ætate ignotos ostendit cum dicat, nonnullos dixiße feras a bombycibus differre, perinde atque tum soli bombyces cognoscerentur. itaque Vergilium de populis locutum non de vermibus existimo.

Deinde non iniuria curiosus aliquis quæreret, quo primum tempore sericæ vestes Romanis in vsu fuerint. quod ego definire non ausim. illud est verisimile, cum Vergilius, & Ouidius serici velleris mentionem faciant, Augusti ætate sericarũ vestium vsum aliquem extitisse. quod sub Tiberio caret dubitatione. tum enim, vt est auctor Tacitus lib. 2. annal. senatus decreuit, Ne vestis serica viros fœdaret. significat autem hoc decretum, solas tunc mulieres id genus vestium vsurpasse. quod etiam non adeo multo post tempore seruatum Plinius suadet, qui lib. sexti cap. decimoseptimo tam multiplici, inquit, opere, tam longinquo orbe petitur, vt matrona transluceat.

Postremo est notandum, Serici meminisse Galenum, vt ante dixi, qui floruit sub M. Aurelio Antonino: item Lampridium in vita Heliogabali & Alexandri: & Vopiscum in Aureliano & Tacito. & Arcadium in constitutione, qua Sericobaptæ vsum

priuatis hominibus prohibuit. ab Arcadio autem ad Iustinianum, ad quem Procopius semen vermium nostrorum a monachis ex India allatum scribit, annos paullo plures centum numerari. Procopium autem de serico ita loqui, vt non aliud, quam antiquorum sericum intelligi possit, quandoquidem sine vlla distinctione, & admonitione de ea re loquitur, vt alij etiam, qui postea rem eandem tradiderunt, vt Zonara, & Niceforus; nostros autem vermes eosdem, quos Procopius, idem recensuit, quod omnes asserunt. propterea asserendum etiam esse nostrum ab antiquorum serico non differre. cuius etsi olim libra auri libra veniebat, tamē pretium ob copiam insigniter imminutū esse, mirabile non est. tum enim rarum ex India con uehebatur, nunc vero vbique plurimum conficitur.

Hic vero non me pigebit curiosum lectorem de eo monere, quod mihi satis persuasum est: olim ex India vestes sericas, non autem licium ipsum afferri cō sueuisse: quod Plinius lib. 6. cap. 17. his verbis docuit. vnde geminus feminis nostris labor, redordiendi fila rursusque texendi. ferebatur igitur aliquid antea contextum, quod redordiri opus erat, rursusque texere. est enim redordiri, telam in fila explicare, et dissoluere, ut suadet etiam locus alter lib. undecimo cap vigesimosecundo. Telas araneorum modo texunt. Prima eas redordiri rursusque texere inuenit in Ceo mulier Pamphila, id vero cōtextum ex India aduectum, fuisse vestes ab eiusdem Plinij verbis intel ligimus lib. 35. c. 14. Ex omnibus autem generibus palma Serico ferro est. Seres hoc cum vestibus suis, pellibusque mittunt. opinor autem neminem posse do cere alias uestes a Seribus missas quam ex hoc licio,

de

de quo loquimur, contextas. Dion quoque lib. 43. de ludis C. Cæsaris verba faciens. ait auctores fuisse quosdam Cæsarem, ne quis spectantium a sole molestaretur, sericas cortinas super eos extendisse: esse autem sericum texturam barbaricę luxuriæ ad luxum nobilium mulierum inuectam. quibus verbis significare videtur texturam sericam aliunde in vrbem afferri, non autem in ipsa vrbe fieri solitam.

Vtrum vestis serica atque Medica eadem fuerit, nihil habeo dicere, nisi quod Procopius lib. qui inscribitur, primus de bello Persico. & qui de bello Vandalico quartus, hoc affirmauit & Baysius retulit. Hæc de serico.

Iam de Bombycina *dicam pauca, quæ habeo. genus fuisse vestimenti frequens antiquitus ex Bombycina cognoscitur: quoniam libro Pandectarum trigesimo quarto ex Vlpiano hæc leguntur: Vestimentorum sunt omnia lanea, vel serica, vel bombycina. vbi aurea pretermissa notat Baysius ob raritatem; quia ius aptari debet ad ea, que frequenter, & facile eueniunt: ergo bombycina erant in vsu frequenti, quia de his æque atq; de laneis, & sericis lex aliquid statuit. Pollux quoque telę huius sic facit mentionem vt originem eius notiorem, quam serici, fuisse demonstret. quamobrem iure miramur, hoc vestimenti genus iam fieri desiisse, & penitus nostris ignotum esse.*

Bombycina dicta est a bombyce animali quod esse multiplex Aristoteles lib. quinto de hist. anim. docet inquiens ἔνια τῶν βομβύκων *triplex a Plinio describitur. tertium genus est, de quo lib. ij. cap. 23. scripsit, nasci in Co insula, cupresci, terebinthi, fraxini, quercus florem imbribus decussum terrę halitu*

animante. hos foliorum lanuginem colligere, qua se uoluunt: e qua uestes deinde fiebant: de quibus, inquit, Nec puduit has uestes usurpare etiam uiros leuitatem propter æstiuam. unde autem hæc Plinius habuerit, hactenus non constat. alia duo genera explicat lib. eiusdem cap. vigesimosecundo, ex quinto Aristo: de animal. histo. & inquit, Quartum inter hæc genus est Bombycum in Assyria proueniens, maius, quam supradicta. hæc ait. vbi est notandum, Quartum genus dici ab eo, quia primo de apibus dixerat, deinde de vespis, tum de crabronibus, quartum igitur insectorum volucrum genus Bombycum reliquum erat. quod vero in Aßyria proueniret, quo auctore dixerit, pariter ignotum est. Scimus Propertium uocaße Arabicum: quæ tamen est regio Assyriæ finitima. ignotum est etiam vnde mutuauerit, maius esse apibus, uespis, & crabronibus. quæ autem sequuntur Aristotelis sunt. Nidos luto fingunt, salis specie, applicatos lapidi, tanta duritia, vt spiculis perforari vix possint. in ijs & ceras largius, quam apes faciunt, deinde maiorem uermiculum: hæc Plinius Aristoteles autem inquit, ἔνια δὲ τῶν βομβυκίων πρὸς λίθῳ, ἢ τοιούτῳ τινὶ ποιοῦσι πήλινον ὀξὺ, καὶ ὥσπερ οἱ ἅλες καταλείφονται. τοῦτο δὲ σφόδρα παχὺ, καὶ σκληρόν. λόγχῃ γὰρ μόλις διαιροῦσιν. ἐνταῦθα ἐντίκτουσι, καὶ γίνεται σκωλήκια λευκὰ ἐν ὑμένι μέλανι. χωρὶς δὲ τοῦ ὑμένος ἐν τῷ πηλῷ γίνεται κηρὸς οὗτος δὲ ὁ κηρὸς πολύ τι ὠχρότερος γίνεται τοῦ τῶν μελιττῶν. *in horum autem collatione animaduertimus primum, Gazam interpretem aliam lectionem secutum esse. qui legit* ὑαλὸς, *& vertit, vitri specie: quam Plinium, qui cum habeat, salis specie, videtur*

tur legisse, οἱ ἄλες. & H. Barbarum, vtra lectio prestet, æstimare noluisse. nos, auctoritatem Plinij, vt vetustioris, magnifaciendam nobis videri: sensum eius lectionis, quam Gaza probauit, magis arridere testamur. deinde cur scriptum sit πήλινον ὀξὺ ipsa loquendi ratio, vt dubitaremus, adduxit. Plinius habet nidū e luto vt subintelligere oporteat κύτταρον (quo vtitur Aristoteles nomine). itaque perspicua esset oratio, si legeretur ὀξὺν: uel ὀξέα: vt τὸ πήλινον nidi materiam, & ὀξὺν formam significet, nidos enim construunt e luto, & in acutum exeūtes, vt Gaza est interpretatus. insuper suspecta est visa lectio οἱ ἄλες seu ὕαλος, casu recto: nā videtur melius legi obliquo τοὺς ἄλας seu ὕαλον. postremo; cū Aristoteles ceram ab ijs dicat fieri, quā ab apibus, pallidiorē ὠχρότερος κηρός, Plinius vero transtulerit, ceras largius: nec probabile sit, illum ignorasse τὸ ὠχρότερος idem esse, quod latine, pallidior: cum alibi ex Græcis, vbi erat ὠχρότερον pallorem verterit, ut cum scribit Cuminum pallorem inducere; existimaui Plinium exemplar habuisse, in quo scriptum fuerit λαβρότερος pro eo, quod est in nostris ὠχρότερος.

Vtrum vero genus hoc bombycinam faceret Aristoteles dicere omisit. Plinius innuit postremis verbis capitis vigesimitertij, Assyria tamen bombyce adhuc feminis cedimus. Subiungitur a Plinio genus tertium.

Et alia horum origo e grandiore vermiculo gemina protendens sui generis cornua. Hi erucæ sunt. fit deinde quod vocatur Bombylis. ex ea Necydalus, ex hoc in sex mensibus Bombyx. telas aranearum modo texunt ad uestem lu-

xumque feminarum, quæ bombycina appellatur. prima eas redordiri, rurſuſque texere inuenit in Ceo mulier Pamphila Latoi filia, non fraudanda gloria excogitatę rationis, vt denudet feminas ueſtis.

Ariſtoteles de genere eodem, inquit, Ἐκ δὲ τίνος σκώληκος μεγάλου, ὃς ἔχει οἷον κέρατα, καὶ διαφέρει τῶν ἄλλων. γίνεται δὲ πρῶτον μὲν μεταβαλόντος τοῦ σκώληκος κάμπη. ἔπειτα βομβύλιος. ἐκ δὲ τούτου νεκύδαλος. ἐν ἓξ δὲ μησὶ μεταβάλλει ταύτας τὰς μορφὰς πάσας ἐκ δὲ τούτου τοῦ ζώου καὶ τὰ βομβύκια ἀναλύουσι τῶν γυναικῶν τινες ἀναπηνιζόμεναι, κἄπειτα ὑφαίνουσι. πρώτη δὲ λέγεται ὑφᾶναι ἐν κῷ παμφίλη Λατῴου θυγάτηρ. *quorum uerborum alia probe quidem expreſſit Plinius, illa uero non bene, inquiens, ex hoc in ſex menſibus bombyx, nam Ariſtoteles hoc dicit, ſex menſibus has omnes formas tranſmutat. neque dicit hoc animal uocari bombycem, ſed mulieres ex eo bombycia reſoluere.* τὰ βομβύκια, *quam eſſe puto telam ab eo animali more araneorum contextam.*

Quod vulgo Bambagia dicitur, nomen habere quidem uidetur a bombycina deductum, ſed vellus eſt non ex animali, at ex planta notiſſimum. tamen & hoc ipſum appellaſſe bombycem uidetur Plinius lib.19.cap.1. cum de fructu illius plantæ, quę hoc ipſum fert, inquit, cuius ex interiore bombyce lanugo netur. Hæc ex uetuſtis ſcriptoribus. Sed quid hodie ſit, cui nomen Bombycinę conueniat adhuc quęritur. Volaterranus libro vigeſimoſeptimo, inquit, Bombycina, quãquã raro, hodie quoq; ex Aſia, Græciaque, quibus Turca dominatur, in Italiã exportari nidemus.

uidemus. hæc ille. & cur non explicauit quo nunc ea nomine nuncupetur, & an reuera ex vermium aliquo genere colligatur? Sed multa renascentur, quæ iam cecidere, cadentque, Quę nunc sunt in honore ut uocabula, ita & uestimenta, & telæ ex quibus construuntur. vtimur passim in Europa, quod uocatur Ciambelloto, partim ex Belgis, partim ex orientis regionibus, quę materies penitus ignota ueteribus fuit.

Sericum in re medica usum aliquem prę stare docet confectio illa celebris ad hilaritatem excitandam a Mesueo, vt aiunt, excogitata, quæ Alchermes vulgo dicitur: intelligitur quoque ex Actuario, qui lib. 5. cap. 6. scribit, crudum Sericum Antidotis quibusdam Cordi utilibus misceri. Auicenna & Serapion laudes eius in concilianda lætitia cecinere. Sed hæc vetustioribus, Sericum crudum cuiusmodi esset ignorantibus, nota non fuere.

De mali medicæ vocabulorum, quibus hodie utimur, origine. Cap. XII.

Malum medicam, quæ & Assyria, Plinio auctore, dicta est, a Romanis Citrium vocatum esse testati sunt Dioscorides, Galenus & alij, sed Athenæus libro tertio multis auctoritatibus comprobauit. Cumque unum huius arboris genus ab antiquis traditum sit, posteriora secula quadruplex videre. vocantur autem Italice Cedri, aut Citroni, Limoni, Pomi d'Adamo, Naranzi. videlicet primo illo genere cultura hominum, & industria in reli-

quas formas degenerante, vt Ruellius notauit. de vocabulo Arantij, & Aurantij nugę sunt, quæ dicuntur. Naranzo antiquum est (non tamen antiquissimum) vocabulum, cuius mentio est in scholijs breuioribus ad Nicandri alexipharmaca his verbis ἔστι δὲ τὸ μηδικὸν μῆλον ὅ ἐστι τὸ νεράντζιον. *neque hic tantum, sed etiam in decima sectione Nicolai myrepsi descriptione centesima nonagesima. ad dysentericos legitur* νεραντζέας, καὶ κιτρίου φύλλον *vbi illa citrij commemoratio docet Nerantzeam arborem esse. cuius folia vti citrij in eo recipiuntur emplastro. docetque locus hic iam tum Nicolai tempore, vel ante, Citrium a Nerantzea distingui cępisse, ab hac, inquam, arbore, quæ nunc Naranzo nuncupatur. nec puto Germanum Nicolai interpretem scripsisse, scire se non posse quid sit Nerantzea, nisi quod vocabulum hoc Naranzo nondum esset ad Germanos delatum, & dictum Nicandri interpretem non obseruauerat. quis autem ille fuerit interpres; & quo tempore vixerit incertum est. pariter & Nicolai ætas ignoratur. tamen neuter est tam recentis memorię, vt careat auctoritate. mihi persuasum est illorum testimonio Nerantij appellationem recipiendam esse vt veterem, et ab ea deflexisse reliqua nomina, quibus arbor hęc, & fructus eius a diuersis appellatur.*

Hip-

Hippocratis narratio de genitura septem dierum perpenditur, & Macrobius de re eadem locus notatur.
Cap. XIII.

IN fine libri de carnibus, qui esse Hippocratis fertur, scriptum est, vitam hominis septem dierum esse, ὁ δ' αἰὼν ἐστὶ τοῦ ἀνθρώπου ἑπταήμερος, quod vt explicet, & confirmet auctor, sponte abortientium feminarum exemplum in medium affert, quę parere nolentes, vbi cognouerint se concepisse, abortum faciunt: se namque hac occasione vidisse testatur genituram septem dierum, quam in aquam primum iniecit, deinde animaduertit membra habere omnia quæ homo debet. Oculorum loca aures, brachia, manuum digitos, crura, pedes, pedumque digitos, & pudenda, & quodcumque aliud. libro autem de natura pueri scripsit, genituram sex dierum a se visam, nam ἐξ ἡμέρας, inquit, & γονὴν ἑπταίην bis dixit. Quę loca nonnulli quasi pugnantia obseruarunt: cumque Macrobius libro primo de somnio scipionis Hippocratis librum de natura pueri citans dicat, Hippocratem septimo die post conceptum grauidam mulierem intellexisse; perinde ac memor eorum, quæ libro de carnibus dicuntur (quæ retulimus) existimauerit legendum ἑπταίην. non autem, vt in omnibus codicibus legitur. ἑκταίην; litem componi posse existimarunt, si dicatur, diem sextum completum & absolutum, ac septimum incipientem in idem recidere, quā conciliādi rationē nunquā probauerim: nam etsi forte concesserim ab Hippocrate aliqando

diem imperfectum pro integro numerari, minime tamen asseruerim, diei sequentis partem cum præcedenti die integro cōfundi: quoniam qui mortuus est diei tertię initio Crito, non dicitur ab Hippocrate mortuus die secunda, nec quarta; qui mortuus est mane die quinta Philistes. ego vero existimo Hippocratem pugnantia non dixisse, nam qui genituram sex dierum vidit, alterā potuit septem quoque dierum vidisse. nec persuadeat quisquam de eadem muliere Hippocratem in vtroque libro verba fecisse. Macrobium vereor deceptum, qui, cum eodem libro de natura pueri ἑπταίην *quoque legerit, minus intellexerit, quorsum vocem illam Hippocrates vsurpauerit, cum in eadem narratione* ἑκταίην *quoque enunciauerit. scriptum est.n.* καὶ ἑπταίη ἤδη ἐπεὶ ἐπεπήδητο, ἡ γονὴ κατέῤῥύη. *quę ille referens ad tempus conceptus, vt hic legitur* ἑπταίη, *ita quoque alibi, vbi* ἑκταίη *scriptum est, cum K.* ἑπταίη *cum* π *scribendum censuit. quod probandum non est: cum enim semel legatur,* ἑξ, *& deinde bis* ἑκταίη, *vt sint tria loca, quæ sextam significent diem; probabilius foret ex his locum, qui vnus est, vbi* ἑπταίη *legitur, quam ex illo vno hosce tres emendare. eo magis, quo huic non repugnat, libro de carnibus tradi, septem dierum genituras a se visas, ut ante dixi.*

Verum ita se res habet. aliud est exemplum in libro de natura pueri, quam in libro de carnibus: non tantum quia loco altero septē, altero uero sex dierum fit mentio, sed etiam quia libro de natura pueri dicit genituram illam sex dierum fuisse pelliculam quandam, in qua liquor quidam pellucebat ruber, & rotūdus. in pellicula uero fibras fuisse albas, & crassas

cum

tum crasso, & rubro cruore. circumque pelliculam foris cruenta exstitisse vestigia instar sugillatorū. libro autem de carnibus dixit genituram septem dierum fuisse veluti carnem, quæ in aquam iniecta distincte membra omnia repræsentabat. rem videlicet diuersam ab ea pellicula, in cuius descriptione neque carnis meminit, neque carnem descripsit, neque membrorum distinctionem vllam in ea fuisse significauit. sunt igitur diuersa exempla. Cum vero libro de natura pueri hæc amplius legantur. καὶ ἐγὼ ἀκούσας ἐκελευσάμην αὐτὴν πηδῆσαι καὶ ἑπταίη ἤδη ἐπεὶ ἐπεπήδητο. id est, cumque ego audiuissem, saltare illam iussi. & postquā iā septies saltauit τὸ ἑπταίη debet ad saltuū numerum referri: neque enim vno saltu, vel altero poterat abortum facere. hoc tamen Macrobius ad dies retulit conceptus inquiens, Mulierem enim semine non effuso, ne grauida maneret, orātem imperauerat saltibus concitari. atque septimo die saltu eiectum cum tali folliculo, qualem supra retulimus, suffecisse conceptui: quæ verba pene ad verbum his, quæ retuli, verbis Hippocratis respondent; vt appareat τὸ ἑπταίη ab ipso Macrobio de cōceptus diebus acceptum. quod aliqui vt suspectum emendare conati sunt: cum enim sententię Hippocratis non respondeat dicentis, sex dierum genituram fuiße: Macrobij verba ita castigarunt, vt saltuum numerum non dierum intelligere poßimus. qui conatus irritus fuit: quoniam superius paullo in eadem narratione Macrobius aperte profitetur, se ex libro de natura pueri exemplum genituræ septem dierum afferre. Sed non est ex Hippocratis sententia locutus: nam cum sermo sit ei de genitura sex dierum τὸ ἑπταίη ἐπεπήδητο non potuit dici de genitura,

nitura sed de muliere: quamobrem nō debuit quisquā ex hoc, quod de muliere dicitur ἑπταίη: *emendare, quod ante dictum est de genitura* ἑκταίη *cum vtrumque apte fieri potuerit, videlicet, mulierem septimo saltu eiecisse geniturам sex dierum. itaque concludendum est in Hippocratis verbis non esse pugnantem sententiam, quam putant, & frustra quæri conciliandi modum: fieri enim potest, vt cum sex tum septem dierum geniturам Hippocrates viderit. Macrobium vero leuiter perpendisse locum hunc de natura pueri, qui* τὸ ἑπταίη *de dierum grauiditatis numero exposuerit, quod de numero saltuum ab Hippocrate dicitur.*

Illud a naturæ studiosis quærendum est diligēter, Vtrum genitura, quæ sexto die instar folliculi; qualem libro de natura pueri Hippocrates descripsit; absque vlla membrorum specie, & distinctione appareat, septimo die videri possit caro, quæ membra omnia, vt idem ait lib. de carnibus habere videatur. Olim occurrit nobis; vt feminæ abortum videremus, quæ iā octo vel decem dies se concepisse opinabatur, in quo nulla erat membrorum species, neque carnis: sed erat folliculus ex alba membrana, in quo liquor albus inerat instar liquoris albi, quem ouum continet, in cuius medio carneum quid ex tenui filo quodam pendebat, quod nobis videbatur esse fætus informe rudimentum ex vmbilico pendēs. quę res cum ad memoriam ea nobis reduceret, quæ libro de natura pueri ab Hippocrate scribuntur, verisimilem magis hanc narrationē esse persuasit, quam illam, quæ libro de carnibus habetur; Huc accedit, quod libro de octimestri partu traditum est; post dies quadraginta membrorum discretio

nem fieri, in maribus quidem valde conspicuam in feminis vero carnem apparere exortus ac processus solum habentem. vt omnino videatur non posse in genitura septem dierum carnis speciem comparere cum illa membrorum delineatione, quæ libro de carnibus explicatur.

Locus Hippocratis libro de carnibus de septem annorum hebdomadis emendatuur. Cap. XIIII.

IN illis verbis fere postremis libri de carnibus Hippocratis τοὺς ὀδόντας οἱ παῖδες ἑπτὰ ἐτέων διελθόντων πληροῦσι. καὶ ἐν ἑπτὰ ἔτεσιν ἐστι δὲ λόγῳ καὶ ἀριθμῷ ἀτρεκέως δεκάδες ἑβδομάδων ἑξήκοντα, καὶ τριηκόσιαι in his, inquam, verbis placet, vt eradatur interpunctum, quod est inter illa duo ἔτεσιν ἐστι atque vt pro δὲ restituatur δὴ vt doctissimus quidam ex interpretibus emendandum censuit: quo sic latine transferatur. Pueri septem annis exactis dentes explent. & in septem annis sunt ratione, & numero exacte hebdomadum decades trecentæ, & sexaginta Sed quia hoc est falsum; neque enim sunt in septem annis hebdomadum trecentæ decades & sexaginta; immo vix sex & triginta valent esse; alijs visum est satis: hęc duo verba, δεκάδες ἑβδομάδων in vnam contrahere, ἑβδόμαδες. quia reuera videntur esse in septem annis hebdomades trecentę, & sexaginta. alij vero laborarunt, vt docerent pro ἑβδομάδων ἑξήκοντα legendum esse vel ἑβδόμαδες πεντήκοντα quia colligunt sua quadam ratione, septem annos cōstare

ſeptimanis trecẽtis, & quinquaginta; vel (quod in idẽ recidit) vt minus lectio vulgata immutetur; pro δεκάδες ἑβδομάδων ἑξήκοντα, καὶ τριηκόσιαι legatur δεκάδες ἑβδομάδων, πέντε καὶ τριήκοντα: quia triginta quinque decades ſeptimanarum ſibi conſtituunt ſeptem annos, in quibus trecentas & quinquaginta ſeptimanas ineſſe ſtatuunt. Ego vero non intelligo, qui dici ex Hippocratis ſententia poſſit, trecentas, & quinquaginta hebdomadas ſeptennio comprehendi, non autem trecentas & ſexaginta.

Colligo ex principio libri de ſeptimeſtri partu, Hippocrati annum fuiſſe, vt communiter aliorum eadem tempeſtate Græcorum, menſium duodecim, dierum vero tercentum & ſexaginta. ait enim centum octoginta duos dies dimidiam anni partem fuiſſe, & nonnihil amplius: quo tempore, qui naſcuntur, ſeptimeſtres vocantur: quia ſexſtus iam exactus eſt menſis, & portio quædam ſeptimi exigua. veriſimile igitur eſt, centum octoginta dies illi exſtitiſſe dimidium anni, i menſes videlicet ſex. ergo annus integre dierum fuit ter centum, et ſexaginta, menſium duodecim lib. vero de carnibus ſeptem integros mẽſes ait dies habere ducentos & decem: quod ſequitur annum habere dies trecentos, & ſexaginta: nam ſeptem menſes, diſtributis in ſingulos diebus triginta, conficiunt dies ducentos & decem: quinque vero reliqui menſes eadem ratione dies continent centum quinquaginta. qui additi decem ac ducentis efficiunt trecentos & ſexaginta. libro item de alimento triginta dierum menſes accepit, cum octauum menſem deſcripſit numero dierum, σ' μ, id eſt 240. Ariſtoteles quoque nos idem docuit libro de animalium hiſtoria ſecũdo, cum ſcripſit,

ſerpentes

ſerpentes tot coſtas habere, quot in menſe ſunt dies, habere autem triginta. omitto Cleoboli ænigma, & ſtatuas Demetrio Athenis dicatas, quibus idem probatur, vt ab alijs quoque notatum eſt.

Erat igitur annus Hippocratis dierum tercentum & ſexaginta. & licet fieret a Grecis intercalatio, quod hic numerus ſolis integrum iter non equaret, tamen ſtatus dierum cuiuſq; anni numerus erat. 360 vt cuiusque menſis. 30. dies autem. 360. ſeptimanas conſtituũt vnam ſupra quinquaginta, & tres ſuperſunt dies. Si ergo collegeris, ſepties repetitus hic dierum & ſeptimanarũ numerus, quot efficiat dies et ſeptimanas, reperies ſepties tercentum ſexaginta efficere biſmille quingentos viginti, quot dies ſeptennio cõtinẽtur. item reperies hebdomadas quinquaginta vnam cum tribus diebus ſeptiens acceptas efficere hebdomadas trecentas & ſexaginta. vt quot dies annus habebat (quod ſecretioris cuiuſdam philoſophiæ ſtudioſis, ſcio, arridebit) tot ſeptennium hebdomadas contineret: atque ſi ſeptennium annus eſſet ex hebdomadibus cõſtitutus: quæ tot erant in annis ſeptem, quot in anno vulgari dies erant. Itaque, quod attinet ad ſententiam verborum Hippocratis, recte ille latine ſcripſit, Hebdomades trecentæ ac ſexaginta. ac ſi Græce fuiſſet ἑϐδομάδες ἑξήκοντα καὶ τριηκόσιαι quia vero non videtur rationi conſonum inſertam eſſe temere vocem δεκάδες (in vulgatis enim legitur δεκάδες ἑξήκοντα καὶ τριηκόσιαι) falſumque ſit, & ualdea ratione remotum iu ſeptem annis eſſe trecentas, et ſexaginta decadas ſeptimanarum; quia reuera ſunt duntaxat triginta ſex; nam hebdomadæ an norum ſeptem ſunt trecentæ & ſexaginta: qui numerus continet

net decadas ſolum ſex & triginta; ideò ſit, ut exiſtimem ueram huius loci lectionem eſſe δεκάδες ἑβδομάδων. ἓξ καὶ τριάκοντα. *lapſoſque ueteres librarios, qui incaute pro* ἓξ *ſcripſere* ἑξήκοντα, *aut cum alicubi, pro* ἓξ, *quod eſt ſex, inueniſsēt* ξ *notam, quæ ſexaginta ſignificat (ut animaduertebat Chriſtophorus Guarinonius medicus doctiſſimus) pro eo, quod debuiſſent mendam delere addito* ε, *eam confirmarunt, explicato* ξ *in* ἑξήκοντα & *pro* τριάκοντα *ſcripſere* τριηκόσιαι. *itaq; legerē* ἐν ἑπτὰ ἔτεσίν ἐστι δ' ἀλόγῳ, καὶ ἀριθμῷ ἀτρεκέως δεκάδες ἑβδομάδων ἓξ καὶ τριάκοντα.

Notatur locus ex Galeni commentario ad aphoriſmum quintæ ſectionis decimum tertium. Cap. XV.

CVm ſit omnium medicorum ſermonibus tritus ille Hippocratis aphoriſmus quintę ſectionis, Quicumque ſpumoſum ſanguinem expuunt, his e pulmone eductio fit; licet Galeni vt miremur interpretum diligentiam in tam inſigni ſcrupulo conniuentium: nam aliud quam ab Hippocrate propoſitum ſit, & quam ipſe uelit, Galenus concludere uidetur. Hippocrates docet ſpumoſum ſanguinē educi ex pulmone. Galenus addit, etiam non ſpumoſum aliquando e pulmone uenire. quod ut probet, illorum exemplum affert, qui ſe in palæſtris exercebant, & in eo exemplo dicit, ſanguinem ab illis exſpui ſine dolore: Sed non intelligo, qui fiat, ſi abſque dolore exſpuunt, ut cognoſcamus, quod etiam non ſpumo-

ſum

sum: non enim perpetuo simul sunt, non dolere, & spumosum non esse, nam frequenti huius rei obseruatione didicimus sine dolore spumosum, & non spumosum sanguinem uenire. nec id aphorismi sententię repugnat, in quo doloris nulla est facta mentio. cum igitur Galenus uelit docere sanguinem sine spuma a pulmone interdum prodire, exspectabã, ut diceret, illos homines, de quibus loquitur thorace percusso sanguinem reijcere sine spuma: sed non hoc dixit, at sine dolore ἄνευ πάσης ὀδύνης. *quæ lectio uidetur defendi nõ posse, uel librarius errauerit, uel auctor ipse aliud scripserit, quam cogitabat (quod non mirarer, sępissime enim contingit) sed uideretur scribendum* ἄνευ πάσης ἀφρῦ. *id est sine omni spuma. hac enim lectione intelligitur perspicue, quod proponitur: quemcumque sanguinem ex ulcerato pulmone prodeuntẽ non esse spumosum. iam uero medicinæ studiosi, ac periti, & ueritatis amantes, quid statuendum sit, cõsulant, atque dijudicent.*

Ex libro Catonis de rebus rusticis cap. quinquagesimumseptimum examinatur.

Cap. XVI.

IN eo, *quem de continentia, librum scripsi, cum de cibi, potusque mensura uerba faciebam, debui quędam, ad eam tractationem pertinentia, ex libro Catonis de rebus rusticis digerere: quæ dum examinarem, hæc etiã notaui, quibus in hac miscellanea tractatione opportunę magis quam illic, locus datur.*

VINVM

VINVM FAMILIAE QVANTVM DETVR. hoc est totius capitis septimi supra quinquagesimum argumentum. *VINVM FAMILIAE.* & hęc, quæ prima videtur capitis verba, argumenti loco posita sunt: nullamque habent coniunctionem cum sequenti sermone. id quod in multis capitibus a Catone seruatum est. Sic in superiori, *FAMILIAE CIBARIA*, & in inferiori. *PVLMENTVM FAMILIAE.* & paulo post, *VESTIMENTA FAMILIAE*, hęc omnia sunt repetita argumenta. iam narratio sequitur. *VBI VINDEMIA FACTA ERIT, LORAM BIBANT MENSES TRES.* in his difficultas nulla est, at in sequentibus aliquid est, de quo dubitare iure poßumus: *MENSE QVARTO HEMINAS IN DIES, ID EST IN MENSE CONGIOS IIS.* Sic ait Cato. vbi notæ *IIS.* significant duos & semißem. Budæus legit. *III.* id est ternos, cui aßentiri non est neceße: etenim sequentia. *MENSE QVINTO, SEXTO, SEPTIMO, OCTAVO, IN DIES SEXTARIOS, ID EST IN MENSE CONGIOS QVINQVE*, hæc, inquam, ab eodem Budæo probãtur, vt paßim scribuntur, scribuntur vero, ut nos retulimus. sed hęc ipsa nos docent, congio sextarios sex contineri: cum enim dies sint in mense triginta, & cuique diei sextarius respondeat, atque ideo quolibet mense sextarij triginta numerandi sint; dicatur autem a Catone, si detur quoque die sextarius, quinque in mense congios impleri necessariũ est, ut sex congio Sextarij capiantur: nã tricenarius numerus in quinque partes inter se pa

res

res inter se pares sic diuiditur, vt cuique ex quinque partibus, sex trigesimæ tribuantur. si ergo sexstarij sex congio continentur (quod ita se habere Festus docuit in verbo, Publica pōdera) cum sexstarius bis heminam capiat, inde fit, vt, quo mense datur in dies hemina, id est dimidium sexstarij, congij terni ex heminis triginta confici non possint, sed fiunt duo tantum & semissis: nam qualis hemina est ad sexstarium, tales sunt heminæ triginta ad sexstarios triginta, subdupla scilicet proportione: at triginta sexstarij sunt ex Catonis auctoritate congij quinque, ergo heminæ triginta, quod est triginta sexstariorum dimidium, duos tantum congios & semissem conficere possunt, quo subdupla heminę atque sexstarij proportio seruetur. est igitur legendum. MENSE QVARTO HEMINAS IN DIES, ID EST, IN MENSE CONGIOS. IIS. *quamquā si codices omnes haberent congios ternos, dici posset Catonem noluisse tam exacte rationem colligere, quo pacto ab eo factum est etiam in postremis mensibus, vt inferius dicetur. sequentia vero carent ambiguitate.* MENSE QVINTO, SEXSTO, SEPTIMO, OCTAVO, IN DIES SEXSTARIOS, ID EST IN MENSE CONGIS QVINQVE. *at quę deinceps sunt varietatem modicam habent; nonnulli enim codices ita se habent, vt post verba superiora tres menses numerentur, videlicet* NONO, DECIMO, VNDECIMO, IN DIES HEMINAS TERNAS. *alij vero,* DVODECIMO *adiūgunt: quod iure factum existimo, quia sunt in anno menses duodecim.* ID EST AMPHO-

X RAM

RAM. colligit summam illius, quod dabatur singulis postremis mensibus. cum enim in dies heminę ternę dentur, ex tricies ternis heminis amphora conficitur. ternę heminæ sunt sextarius & semissis, vel sesquisextarius. triginta sesquisextarij conficiunt sextarios quinque supra quadraginta, quantum capit amphora, si hanc Cato rationem ad mussim iniuit, de qua re infra dicemus. sequuntur, HOC AMPLIVS SATVRNALIBVS ET COMPITALIBVS IN SINGVLOS HOMINES CONGIOS, his dictis summam annuæ potionis colligere aggreditur: et inquit, SVMMA VINI IN HOMINES SINGVLOS INTER ANNVM COMPEDITIS. estque hæc propositio, quam infra explicat, cum inquit, EOS NON EST NIMIVM &c. Sed ante hanc explicationem interserit admonitionem quandam, uidelicet, non adeo diligentem debere esse patrem familias, nec adeo parcum, ut negligat operarum merita, VTI QVICQVID OPERIS FACIENT PROPORTIONE ADDITO. quæ perspicua sunt. ipsa uero, quæ sequitur, summæ explicatio habet aliquam dubitationem. EOS NON EST NIMIVM IN ANNOS SINGVLOS VINI QVADRANTALIA X. BIBERE. quibus in uerbis Iocundus pro X. id est decem restituit IIX. id est octo, quam Budæus emendationem secutus est, atque cum legat in superioribus uerbis, MENSE QVARTO CONGIOS III. pro CONGIOS IIS. vt ante, dixi, summam concludit eam fuisse congiorũ sex uel septem et quinquaginta;

quaginta; qui septē amphoras complent. scilicet cuiq; amphorę octo congij debentur: ait enim Festus. Congium esse octauā amphoræ partē, octo uero, si septies accipiatur, efficit sex supra quinquaginta. initur uero hæc ratio hunc in modum. quarto mensi terni congij addicuntur, quatuor sequentibus uiceni, ut iam quinque mensibus sint congij uigintitres; rursus postremis quatuor mensibus bini ac triceni dentur, qui ternis ac vicenis adiūncti quinos & quinquagenos efficiunt. quod si rursus addantur bini, qui Saturnalibus, & Compitalibus dabantur, erunt omnes septeni, & quin quageni. iuxta lectionem alteram erūt semisse minus, quia mense quarto non ternos ut Budæus, sed binos & semißem, legitur, vt exposui. verum est, quod, si ada mussim heminas, & sextarios colligamus, quatuor vltimis mensibus reperiuntur congij dumtaxat triceni; quia singulis mensibus dantur sextarij quini & quadrageni, ex quibus congij septem & semissis conficiuntur, qui numerus quater sumptus tricenarium constituit. Sed uoluit Cato his quatuor mensibus, qua si auctarium, in singulos congium mediū dari, fieriq; integram amphoram, qua octo et quadraginta sextarij continerentur, licet ratione eius, quod in singulos dies dandum dicebat, quinque supra quadraginta sextarij duntaxat fierent. cum igitur habeamus cōgios quinquagenos & septenos uel integros, uel dimidio minus, hęc summa septem amphoras uix uno sextario superat. legitur tamen non esse nimium in annos singulos quadrantalia, seu amphoras decem bibere. quia igitur multum interest inter septem ac decem, visum est satis Iocundo, & Budęo (vt puto) si tantum adderetur, vt octo quadrantalia implerentur,

tur, atque ob id pro decem legendum. IIX. existimarunt, fortaſſe Cato tam liberalis uiſus nō eſt, ut tres vini amphoras impendere in uſum familiæ in annos ſingulos vltra communiorem menſuram voluerit. nihilominus tamen perpendēda ſunt ea verba. VTI QVICQVID OPERIS FACIENT PROPORTIONE ADDITO. nam proportio, vt opinor, tum perſonas, tum tempora reſpicere debet; perſonas, vt qui plus operis faciunt, plus accipiant. tempora, vt alijs menſibus minus, alijs vero plus addatur; ſicuti conſtat ex ipſis Catonis verbis, prioribus menſibus minus, poſterioribus autem plus datum eſſe. ergo ſi, vt par eſt, ad dictum aliquid eſt habita perſonarum ratione, atque temporis; idque non certo anni tempore, ſed perpetuo faciendum; non eſt adeo magnum, nouem menſibus tres amphoras adijcere, ad eas, quæ vulgaribus operis dari conſuerāt quotidie, videlicet menſuræ dictæ auctarium modicum adiciendo: quamobrem dictum eſt a Catone, nimium non eſſe, ſi decem inſingulos annos amphoræ bibantur: atque ideo mutationem illam verborum a Iocūdo propoſitam minime neceſſariam eſſe arbitror. quod vero amphora idem eſſet, quod Quadrantal Feſtus auctor habetur.

De Aetij medici ætate, & religione.

Cap. XVIII.

QVo ſtudio Hippocratis filios a magna infamia ſuperius vindicaui, eodem in præſentia cona-

bor ab Aetio medico hæresis crimen auertere: etenim Aetius quidam fuit syrus Antiochia oriundus, Arij primum assecla; deinde propriæ cuiusdam hæresis au ctor: qui ab aurificina ad litteras ætate grandis transgressus Alexandriæ Aristotelicis operam dedisse di ctus est, deinde in hęresim lapsus Constantioque imperante in exilium ad Tauri partes fugatus, demum ab imp. Iuliano ab exilio est reuocatus, habuitque suę heresis successorem Eunomium, qui sub Valentiniano primo egerat, vt Aetius preceptos eius ab Eu doxio episcopo Constantinopolis Ariano reciperetur, sed frustra; nam Aetium, vtpote Arianum nō bonum Ariani veri abhorrebant. Hæc autem legere est apud Græcos pene omnes, qui ecclesiasticam historiam scri pserunt. fuisse autem medicum Sozomenus scripsit, & Nicephorus adiecit, a Sopoli viro excellenti artem hāc doctum esse: eamque gratuito inter pauperes exercuisse. Verum hęc de Aetio medico; qui de re medica volumen, quod extat, non paruum reliquit; dici non posse, ipsa imprimis ratio temporis persuasit. nam coniicimus Aetium hęreticum circiter initia im perii Valentiniani, primi scilicet, periisse: eo enim peruenisse, illud ostendit, quod nuper diximus actum ab Eunomio apud Eudoxium sub Valētiniano: at non vltra progressum colligimus ex traditis ab Epiphanio Panarij operis lib. 3. tomo. 1. qui asserit, eo tempore (anno videlicet Valentiniani duodecimo, cum illud volumen conscribebat, vt eiusdem uoluminis ini tio ipse testatur) Aetij discipulum Eunomium etiam viuere: sicuti notare consueuit, qui aliorum hæretico rum sua ętate viuerent; nam pręter Eunomium memorauit Aerium quoque (qui fuit alius ab Aetio)

dum ea scriberet, vixisse: quapropter cum vberrime de Aetio locutus sit, si tunc inter viuos exstitisset, dicere non omisisset: cum vero omiserit, mihi persuasum est, illum iam ante annum Valentiniani duodecimum obijsse. contra vero Aetius medicus non solum vixit post illud tempus, sed fortasse vno post vel altero seculo. quę vero me mouent, hæc sunt: fuit Aetius Oribasio posterior, quippe qui ex Oribasii voluminibus plurima transcripsit, non solum ex ijs, quę ille ad Iulianum Imper. sed etiam ex ijs, quæ Iuliano defuncto ad Eustathium filium, & ad Eunapium postremo scripsit. Eunapius autem post Honorij, & Arcadij regnum viuebat: is enim vitas imperatorum a Claudio vsque ad Arcadium & Honorium descripsit. cum igitur Aetius hæreticus deceßerit ante annum 380. tuc enim Valentinianus cum Valente regnabant; Arcadius vero cum Honorio imperium acceperit circiter initium sequentis seculi, 400. Aetium medicum colligimus vixisse posteriori seculo, scilicet post annum Domini 400. quam Aetium hęreticum, qui vitam cum morte commutauerat ante annum Domini 380. Sed citat etiam Adamantium sophistam, atque medicum. exstat autem Adamātij liber physiognomicus qui fertur Constantio imp. dicatus: & mentio fit Adamantij cuiusdam medici, ex Iudęorum tamen gente, qui imperantibus Theodosio & Honorio, Cyrillo vero Alexandrinam ecclesiam pascente, cum Iudęi Alexandria pellerentur, Constantinopolim profectus. ab Attico episcopo lustratus baptismo Christianismum amplexus est: qui vel idem fuerit, qui physiognomica scripsit, vel alius, non multum refert: fortasse

autem neuter ex his ille fuit, quem Aetius citat. quod si eum citat, qui sub Theodosio & Honorio vixit, sine dubio sequitur, Aetium medicum illo hæresiarcha Aetio iuniorem exstitiße: nā qui Aetius in hæresim lapsus est, sub Valentiniano, & Valente diem obierat suum, multis ante annis, quam Theodosius, & Honorius imperium acciperent. quod si is Adamantius ab Aetio medico citatur, qui ad Constantium scripsit: potuißet ille quidem hęreticus ex Adamantio aliquid desumere, sed hoc non est consentaneum ceteris, quæ de Aetio medico dicuntur, qui vixit Arcadij circiter tempora, Honorijque, vel posterius, vt ante dictum est. Huc accedit, quod Aetius medicus fertur Comitatus dignitatem habuisse: etenim Obsicij comes alicubi præscribitur: Verum hic Obsicij comitatus (etsi alioqui non contenderim, vtrum comitatus dignitas magni ętate Constantini, an posterius inuecta sit) apud idoneos auctores vix ante Iustiniani seculum reperietur. quo fit, vt Aetius hic noster post annum Domini 500. vixerit. Insuper cum Græci scriptores Aetium hæreticum dicant episcopatus desiderio exarsisse, & demum ad eam dignitatem euectum esse: non omisißent, opinor, eiusmodi Comitatus mentionem facere, Demum Aetius hæreticus dicitur fuiße ex Syria Antiochenus, et noster Amidenus scribitur: Amida vero ciuitas est Mesopotamiæ: nisi quis etiam malit existimare Abidenum dicendum non Amidenum: quia Abydus ciuitas fuit Obsicio fortasse non valde distans: legitur enim apud Paulum Diaconum, quod Iustinianus Sclauinorum multitudinem ad se confugientium in partibus Obsicij, cum

per Abidum transfretaſſet, conſtituit, ſed de hoc quiſque ſuo arbitratu decernat: ex alijs, quæ hactenus diximus, certe conſtat (niſi confundere omnia uelimus) nec patriam, nec ætatem Aetij hæretici, ac medici noſtri eandem fuiße, ac propterea non liquere, medicum hunc hæreſeos crimine notandum eſſe.

F I N I S.

CATALOGVS
AVCTORVM,

Quorum in hoc volumine dicta quędam vel probantur, vel illustrantur, vel refutantur, & à quibus dictorum testimonium petitum est.

A

*Cron*
Actuarius.
Adagiorū scriptor.
Aelianus.
Aetius.
Albuchasis.
Alcmęon.
Alexander ab Alexandro.
Alexander Petronius.
Alexander Trallianus.
Ammianus Marcellinus.
Ambrosius S.
Anaxilaus.
Anaximander.
A. Alciatus,
Andreas.
Andromachus.
Anniceris Cyreneus.
Appollonides.
Apollodorus Athenien.
Aratus.
Archestratus,
Aretæus.
Archigenes.
Archilochus.
Aristophanes.
Aristophanis interpres.
Aristoteles.
Asclepiades.
Athenæus.
Auerroes.
Augustinus S.
Auicenna.

B

B*Artholom. Eustachius.*
Biblia Sacra.
Budęus.

C

C*. I. Cæsar.*
Cassiodorus.
Cato.

Cicero

Cicero.
Clearchus. seu Clitarchus.
Clemens Alexandrinus.
Clinias Pythagoricus.
Columella.
Constantinus.
Cornelius Celsus;
Cornelius Nepos.
Cornelius Tacitus.
Crates.

D

Democritus.
Didymus.
Diocles.
Diodorus Siculus.
Dion.
Dionisius Alycarnass.
Dioscorides Anazarbeus.
Dioscorides Iunior.
Dioxippus.
Dolus Mendesius.

E

Empedocles
Epicurus.
Epiphanius.
Eratosthenes
Erotianus
Euagrius.
Eudemus.
Eupolis.
Euripides.
Eusebius.
Eustathius.

F

Fenestella.
Festus.
Franciscus Patricius.

G

Galenus.
Gaza.
Gellius.

H

Hermes Trismegistus.
Hermolaus Barbarus.
Herodotus.
Herophilus.
Hesiodus.
Hieronimus Magius.
Hieronimus Mercurialis.
Hippocrates.
Homerus.
Horatius.

I

Iocundus Architectus.
Irenæus.
Isidorus.
Iulius Capitolinus.
Iulius Frontinus.
Iulius Pollux.
Iuuenalis.

La-

L

LAberius.
Lampridius.
Lazarus Bayfius.

M

MAcrobius.
Marcellus.
Marcellus Vergilius.
Martialis.
Mesue.
Mnesitheus.

N

NIcander.
Nicandri interpres.
Nicephorus.
Nicolaus Myrepsicus.
Nonius.

O

OPpius.
Oribasius.
Origenes.
Ouidius.

P

PAccius Antbiocus.
Paladius.
Pandectæ.
Paulus Aegineta.
Pausanias.
Petrus Apponensis.
Petrus Victorius.
Plato.
Plautus.
Plinius.
Pliction Hippocraticus.
Plutarchus.
Pollux.
Polybius.
Posidonius.
Procopius.
Propertius.
Psellus.

R

RAphael Volaterranus
Ruellius.
Rufus efesius.

S

SAbinus.
Scribonius Largus.
Seneca.
Serapio.
Sexstus.
Socrates.
Solinus.
Sophocles.
Soranus.
Sozomenus.
Spartianus.
Strabo.
Stratis.
Suetonius.

Sui-

INDEX

INDEX CAPITVM huius operis.



LIBRI PRIMI.

Theo-

LIBRI

LIBRI SECVNDI

X LI.

LIBRI TERTII.

LIBRI QVARTI.

INDEX RERVM ET VERBORVM, QVAE IN HOC opere notanda potissimum visa sunt.

A

Dorilaus.

E

Euergetes

Hippo-

I

L

Nice-

O

P

Pau-

Q

R

S

Suetonius

Thes-

X

Z

FINIS.



MARSILII CAGNATI VERONENSIS

DOCTORIS MEDICI ET PHILOSOPHI.

DISPVTATIO DE ORDINE In Cibis Seruando.

Permissu Superiorum.



ROMAE.

Apud Alexandrum Gardanum, & Franciscum Coattinum Socios. 1587.

CAMILLO PEREGRINO PATRITIO VERONENSI, IVRIS CONSVLTO, VTRIVSQVE SIGNATVRAE REFERENDARIO, VT VETERIS NECESSITVDINIS, ET SVAE IN EVM VOLVNTATIS, ET OBSERVANTIAE TESTIMONIVM EXSTET,


D. D.




MARSILII CAGNATI VERONENSIS

DOCTORIS MEDICI, ET PHILOSOPHI.

Disputatio de ordine in cibis seruando.





RIA sunt, quæ de ciborum ordine quæri præcipue solent: generatim primo dubitatur, vtrum sit ordo seruandus, an penitus negligendus: deinde quis maxime probandus sit. hoc autem bifariam, vel enim communes aliquæ regulæ, seu leges tradendę sunt, vel de singulis cibis decernendum est, quis prior, quis posterior in mēsam venire debeat. hoc postremum nimis longam disputationem desiderat, quoniam de singulis non potest hoc, quod proponitur, definiri, nisi natura singulorum perspecta & cognita: ideo iure in eam partem reiicitur, qua de singulorum natura disputatur. De his, quæ communia sunt, hoc loco differere in animo habemus, eo præsertim cōsilio, vt iudicium cognoscatur quod de Galeni sententia faciendum est. non tamen ita ieiuna futura est nostra hæc disputatio, quin de multis aliqua sigillatim explicanda sint. sed ita, vt non debeat candidus lector

plura a nobis hoc tempore desiderare, quam ipsa, quæ nunc datur, differendi occasio requirat.

Quamuis autem notum sit, quid de hac vniuersa re Galenus senserit; de qua sæpe locis varijs dilucide locutus est, tamen, ne quid memoratu dignum temere prætermissum videatur, sententiam eius breuiter primo loco repetemus.

a 3. lib. de symptom. caus c. 1. & 5. libro de loc.aff. c. 6.

b 3. lib de sanit.tu.c 13

c lib.2 de alim. fac.c. 31.

Ordinem generatim in cibis seruandum, ab eo satis docemur, cùm a inter causas læsæ concoctionis, & eas, b propter quas diutius, quam par est, excrementa in ventriculo continentur, incongruum ciborum ordinem commemorat.

Cum vero diuersos varie seruati ordinis docet vsus demonstrat etiam, quem ipse ordinem alias priuatim, alias generatim approbet.

Dicebat c ex cibis, qui ad excretionem incitant, illos omnium primos sumendos esse, qui celeriter quidem peruadunt, tamen si morentur diutius in ventriculo, corrumpuntur, postremos vero illos qui tarde permeant. itaque dicebat sycamina, & cucurbitas celeriter pertransire, si in ventriculum purum inciderint, ac sumpta primis epulis fuerint. alias celerrime corrumpi.

d lib.5. de sanit.tu.c. 9

e lib.de cib. bo. & ma. succi c.13

Dicebat d etiam, aluum solui sumptis ante cibum oleribus ex oleo & garo, ficubus & pomis, & id genus alijs, si fuerit æstas; si vero hiems, caricis, prunis Damascenis, aut elixis, aut mulso maceratis, oliuisque ex muria. item, si æstate sit opus calorem, squaloremque corporis curare; docebat e primum sumenda esse vel poma, vel pruna, vel mora, vel cerasa, vel cucumeres, vel pepones, vel melopepones, vel præcocia, vel persica, vel melcam,

vel

vel aphrogala, vel edulia ex lacte, vt argyrotrophima, vel ficus; vel cucurbitas; postea vero carnes & alios cibos.

Ad hæc [a] tradebat, excrementa diutius contineri in ventriculo tum propter alia, quę huc afferre opus non est, tum si quæ sicca, & adstringentia sunt, primo, quæ vero humida, pinguia, & dulcia, postremo loco sumpta fuerint.

Insuper [b] admonebat, in biliosis ventribus primos debere esse cibos aluum mollientes, vitandos vero adstringentes, nisi post alios sumantur ad os ventriculi corroborandum. item [c], se animaduertisse ijs, quibus ventriculi os imbecillum est, nauseæque obnoxium, aluus autem adstricta, vnicam victus rationem conuenire; scilicet, vt olera cum oleo, & garo & alia, quæ ventrem mollire soient, primo loco assumerent, ac post iustum cibi modũ acciperent aliquid eorum, quæ stomachum roborant. ea vero esse & mala, & pira, & punica. quod etiam confirmabat Protę rhetoris historia. alias [d] docebat stomachum nausea infestari, si aliquod molle, ac pingue summis epulis edatur.

Hęc Galenus scribebat quodammodo respiciens priuatim vel affectus, vel naturas.

Sed etiam aliquando, nec affectus distinguens, nec naturas, ordinem quendam communiter seruandum exposuit. monuit [e] enim omnia praui succi, & humida, ac lubrica, & quæ subduci facile queant, ante alios cibos esse sumenda. ita enim citius subduci, & alijs cibis viam munire. quę sumpta postremo, vna secum alia quoque corrumpunt. propterea comedentes persica post alios cibos arguebat.

a lib. 1. de sa tu. c. 13.

b lib. 6. de sa tu. c. 7.

c lib. 6. de sanit. tu. ca. 10. & lib. 2 de alim. fac. c. 22.

d lib. 3. de alim. fac. c. 8.

e lib. 2. de alim. fac. c. 19.

Hunc vero esse ordinem, quem generatim existimabat seruandum, significauit, cum a dixit, vnam ex causis læsæ concoctionis ordinem ciborum parum conuenientem, addendo, ordinem parum conuenientem esse, si mala, & punica primo loco, postremo vero olera ex oleo, & garo sumantur.

a lib. 3. de symptom. caus. c. 1.

Neque sibi contrarius in eo Galenus est, quod, vt ante dixi, mala alicubi primo, alicubi summo cibo edēda dixerit. quam dubitationem aliqui dissoluerunt, legendo in sexto libro de sanitate tuenda, mala cotonea, pro eo, quod in omnibus & Græcis, & Latinis vetustioribus est, mala; vt etiam habet Linacri interpretatio in antiquioribus impressis: noluit enim fidus ille interpres de suo aliquid importune inserere. Sed non satis erat addere cotonea libro nuper dicto, nisi idem quoque fecissent libro tertio de symptomatum causis, vbi in eadem sententia legitur in omnibus, mala, non autem, cotonea. Sed, vt dixi, non est sibi contrarius Galenus: nam libro de bono, & malo succo, dicens primo cibo mala sumenda, docet modum, quo calori æstatis, ac squalori occurratur. alibi vero summo cibo edenda dicit, si opus sit imbecillum, & nauseæ obnoxium ventriculum roborare; aut vbi alioqui sanus homo est, nec vllo aduersus æstiuum calorem, aut squalorem præsidio indiget, quasi, hac causa excepta, generatim seruandum sit, vt mala postremo loco sumantur.

Ex dictis igitur colligitur, Galeni sententiam esse, cibos aluum mollientes & prauo succo preditos, & corruptu faciles primo, adstringentes vero postremo loco edendos esse.

Vtrum autem hæc sententia vera sit, hisq; ordo vtiliter seruetur, in controuersia est.

Proba-

Probabatur hæc ipsa sententia ob id, quod ordo est tanquam anima diuinorum, & naturalium operum, quorum imitatione tum alias, tum inter edendum ordo aliquis ab hominibus seruandus est.

E diuerso autem, eadem partim refutabatur, partim exponebatur, eo quoq; addito, Galenum omnium primum scripsisse, ciborum ordinem seruari oportere.

Ad refutandum, hoc primum de structura ventriculi statuebatur. duo esse illius oscula, quorum altero alimentum naturaliter sumitur, altero autem naturaliter redditur; & oportuisse inferius, quo cibus iam confectus egreditur, multo esse angustius superiori: vt cibus tamdiu in ipso ventriculo retineatur, donec totus in chylum sic permutetur, vt ad penetrandum in iecur aptus euadat, ac propterea idipsum ita claudi recepto cibo, vt non aperiatur, nisi cibo ipso vniuerso permutato. quemadmodum vterus, vbi semen concepit, numquam, nisi absoluto fœtu, recluditur, ex quibus colligebatur, ordinem ciborum frustra seruari, adstringētibus exceptis: nam cum cibus omnis, ante exitum e ventriculo, liquescere in eam speciem debeat, quæ vocatur chylus; ita permisceatur, & confundatur oportet, vt nihil referat, primum, aut postremum aliquid recipi, adstringentium tantum rationem aliquam esse habendam: quoniam vltimo loco accepta, adstringendo, & claudendo os ipsum ventriculi, non parum ad ciborum concoctionem perficiendam conferunt.

Addebatur, ordine ciborum seruato cibos ante sumptos citius non confici: quoniam non quisque seorsim, sed omnes simul in chylum necessario transmutātur; alias ei, qui prius esset concoctus, reliquorum esset

concoctio expectanda; quamobrem interim assaretur, ac inutilis euaderet neque alijs alios celerius egredi; quia reserato pyloro concocti vna, & inconcocti prodirent.

Insuper, non conferre ordinē ad concoctionem omnium ciborum simul perficiendam: quoniā antequam concoctionem calor aggrediatur, componi prius cibi debent, & arcte a ventriculi corpore comprehendi. quapropter Auicenna illos redarguebat, qui multum tempus comedendo consumerēt.

a lib. 3. de natur. facult. c. 7. & lib. 6. de decr. Hippoc. & Pl. cap. 8. 2. aph. 18. li. 4. de satu. c. 11. *Postremo Galeni afferebatur a sententia, ventriculum id, quod in cibis optimum est, paulatim ad se trahere, & in tunicis suis reponere: ijsdemque adiungere. vbi vero, abunde saturatus est, quicquid reliquum nutrimenti est, veluti onerosum aliquid reijcere ergo, inquiunt, opus est cibum vniuersum concoqui prius, quā ianitor dictus aperiatur. quod argumētum eo efficax est, quod statuunt ventriculū ad se nihil trahere nisi plane consummata concoctione. & fuit, qui*

b Fernel. li. 6. de func. & humor. c. 1. *b scripserit, ventriculū ad se trahere portionem eius, quod iam conuenientem, & familiarem qualitatem est adeptum atque in cremorem est mutatum id est, concoctum. quia non aliud dicebat esse concoctionem, quā conuersionem cibi in cremorem, qui aptam & accōmodatam nutriendo animali qualitatem, atque substantiam sumpserit. nisi & hic nobiscū senserit: alia prius concoqui alia posterius et ventriculum illo frui, quod iam concoctum est. (quamquam neque hoc Galenus voluit, vt postea dicam) quod vtrum sic acceperit non satis explicauit. qui vero dicta argumentatione vtuntur, omnem prius cibum confici volunt, postea ventriculum cibi concocti partem ad se trahere. scilicet*

licet chylo vocato eum nutriri arbitrantur.

Et hæc generatim afferuntur ad refutandum sententiam de ordine ciborum. sequẽtia priuatim Galeno repugnant.

Primum, si ciborum ordo vim aliquam haberet, duros primo loco sumendos esse, nam qui difficilius concoqui possunt, diutius manere in ventriculo deberẽt Galenus tamen, & qui eum sequuntur, coctu faciles, & corruptioni obnoxios præsumendos existimant.

Deinde, calor, qui coquit, totus pene est in fundo stomachi positus; quę igitur huiusce caloris opera plus indigent, qualia sunt crassa. dura mucosa, atq; viscida deberent præsumi, vt diutius in fundo stomachi, tanquam ἐν τῇ ἑστίᾳ *permanentia melius concoquerentur.*

Postremo, Galenus tamquam homo errare aliquando potuit; quamquam non sit proprie error, sed lasciuientis ingenij consilium inutile. & superuacaneum, ciborum ordinem docere.

His refutabatur Galeni sententia, his vero eadem exponebatur: videlicet. Voluisse Galenum, vt ea, quæ subducunt aluum, item corruptioni obnoxia, non immediate (quod vulgus medicorum putat) sed aliquo temporis spacio ante alia sumantur, ita vt prius elabi e ventriculo possint, quam chylus ex alijs cibis fieri incipiat. Astringẽtia autem, ac dura esse quidem post alia accipienda, verum non propria ratione, sed quod suo extremo transitu ventriculi os constringentia coctioni facilius absoluendæ auxiliantur.

Rationi, quæ ad confirmandum Galeni sententiam afferebatur, videlicet in Dei, & naturę operibus ordinem veluti animam insitum esse; occurrebatur dicendo, non oportere seruari ordinem in ijs, quæ casui

subijciun-

subijciuntur, quæque nō refert hoc, an illo modo fiant: cuiusmodi est variorum ciborum ingestio, quę, cum sit a natura hominis aliena, ac inordinata (etenim simplici cibo vesci; vt cætera animalia naturæ impetu ducta faciunt; est opus naturali instinctui consentaneum, & tuendę sanitati in primis accommodatum) inutiliter ordini subijcitur.

Hæc aduersus Galeni sententiam. quam e contrario a docto viro comprobatam vidimus locorum obseruatione plurium, quibus Galenus de ea re scripsit: enumeratis quoq; ex ipso Galeno cibis, qui aut quia sunt praui succi, aut quia facile putrescunt, ante alios ingeri debent. quę nos initio huius quęstionis breuiter perstrinximus. sed non sunt dissolutę argumentationes, quibus eadem sententia improbatur, quod tueri eam volēti potissimum debebat esse. Quod munus cum ego in pręsentia susceperim, vt in eo, quod præcipuum est, oratio mea concludatur, ab his exordiar, quę postremo loco recensui.

Itaque consideranda est primum ratio, ab ordine diuinorum, & naturalium operum desumpta. nam in eius confutatione paulo ante exposita duo sunt, quorum alterum non est admittendum, alterum est valde dubium.

Non conceditur illud, ordinem non esse seruandum in ijs rebus, quæ casu fiunt. nam etsi, vt casu fiunt, carere ordine videntur, cum tamen facta iam sunt, si capere ordinem queant, præstat illum adhibere, casu animalia, ac plantæ multæ nascuntur, in eis tamen & ordo, & distinctio partium, & membrorum æque, ac in genitis e semine, reperitur: similiter in medicina, [a] casus inuenisse multa dicitur, quibus ordo, & modus

a Gal. lib. q. inscribitur medicus, cap. 1. Plinius libr. 27. c. 2.

modus adhibitus est. Varietas igitur ciborum sit, vt libet, a nostra natura aliena, & casu introducta, quid tamen prohibet ordinem in ea ponere? cum ea in potestate sit nostra, & certis generibus distinguatur, ordinem potest recipere. nec inutiliter (hoc enim obijcitur) vt deinceps ostendam. Illud vero est valde dubium, varietatem esse a natura hominis alienam, argumento brutorum: nam alienum a natura humana non est, quicquid bruta non faciunt, quin homini multa conueniunt, quæ in brutis non sunt. sed si etiam bruta contemplatus fueris, varietatem naturalem esse existimaueris. notum est illud Eupolidis a Plutarcho, a & a Macrobio b citatum, vbi capræ inducuntur de seipsis dicere, omnigena se vesci materia, abiete, ilice, arbuto, cytiso, smilace, lentisco fraxino, quercu, hederea, myrica, & alijs pluribus, quæ non viribus minus, quã nominibus inter se differunt. quod quamquam capris priuatim eo loco tribuitur, videre est tamen in alijs etiam brutis, quæ libere vesci possunt. cuiusmodi boues sunt, quod genus Theophrastus c omnium maxime omniuorum esse dicebat. atque si quis obijciat, dictam materiam vno quodam genere contineri, plantarum scilicet, Pliniumq; d interpretari in herbis dictũ illud de bobus a Theophrasto; cum homines multo magis varia ac dispari materia delectentur, qui herbis multiplicibus, diuersarum arborum fructibus: diuersis frugibus: diuersorum generum piscibus, auibusque vescuntur; hoc faccillimo negocio diluitur. siquidem & e bruta sunt, quę non tantum carnibus, et frugibus, herbisq. sicut homines pascuntur, sed etiam omnigena semina comedunt; muscas culices, vermes, & omnis generis insecta naturaliter deuorant; quorum exemplum

a lib. 1. pbl dec. 4 sym pos.

b li. 7. satur c. 5.

c lib. 9. de plantis.

d lib. 25. c. 8

e Aristot. li. liber. 8. de animal. hi.

plum habemus domesticum gallinas, ne cornicem & gauiam commemorem. omniuora quędam dicuntur, παμφάγα Gręci appellant, qualia sunt ex aquatilium genere ea, quæ molli cortice conteguntur, quæ non tantum carnes, sed & stercora, & lapides deglutiunt. cuiusmodi etiam sunt inter terrestria serpentes, & lacertæ; item (vt omittam canes, & sues, qui nobis ante oculos semper versantur) vri, & simiæ, quin & insectorum quædam. παμφάγα dicuntur. non igitur simplex est cibus brutorum. neq; varietas aliena a natura est.

Præterea, qui potest illud dici alienum a natura, in quod omnes vltro feruntur? si seipsum quisq; contempletur, examinetque, utrum natura impellente, an potius consilio cibo se multiplici temperet: intelliget omnino varietatem, vt iucundam, ita naturaliter optabilē esse. quod Aristoteles [a] videtur significasse dicēs, animalia ciborum varietate gaudere & pinguescere.

Quod si quis obijciat Hippocratem [b], *Galenum*, [c] *Aetium* [d], *Paulum*, [e] *Auicennam* [f], *ciborum varietatem damnātes; in quam Plinius* [g] *quoque inuehitur his verbis, homini cibus vtilissimus simplex, aceruatio saporum pestifera, & condimenta perniciosiora; & Horatius* [h], *varię, inquiens, res. Vt noceant homini credas memor illius escæ. Quę simplex olim tibi sederit; at simul assis Miscueris elixa, simul conchylia turdis, Dulcia se in bilem vertent, stomachoq. tumultum, Lēta feret pituita. vides vt pallidus omnis Cœna desurgat dubia; dicebatq;* [i] *Antiphanes Delius vel solam morborum causam ciborum varietatem; Huic facile occurritur nō propterea tolli, quin varietas naturalis dici poßit. aliud est enim quęrere, vtrum vtile, an nō, aliud vtrum naturale, an alienū a natura. sicuti dam-*

natur

a lib. 8. de hist. anim.
b li. 2. de dicta & lib. de flatib.
c li. 1. de vict. rat. in acut. text. 20. & li. 3. text. 35.
d Tetrabib. 1, Serm 2 c. 239.
e lib. 1. cap. 73.
f lib. 1. fē. 3 doct. 2. c. 7
g lib. 2. c. 5.
h li. 2. serm. satyra 2.
i Clemens Alax. 2. li. pedag. c. 1

natur intemperantia vt inutilis, in quam tamen, vtpote a natura nostra non alienam, omnes feruntur, nisi magnis conatibus retrahantur.

Vtrum autem multiplex cibus simplici vtilior sit, & facilius concoquatur, non est huius loci diligenter perquirere. multiplex damnatur ab Hippocrate, & alijs, vt dixi. potest tamen etiam vtilis esse, si non aliter, certe, quemadmodum Asclepiades monuit, qui volebat ęgris varios poni cibos, cum fastidio vrgentur, vt paulum ex singulis degustando fastidium superarent: cuius rei Celsus a meminit: & in eo libello de salubri diæta, qui est Hippocrati adscriptus, legitur. Quorum alui non probum transitum habent, illis omnibus conducere, vt sæpe die comedāt, & omnigènis edulijs, et obsonijs varijs modis præparatis vtantur, vinumq. bibant a duplex, aut triplex. sed nec a Hippocrates prohibet (vt concludam quod pertinet ad primam rationem) quominus aliquis cum pane comedat olera, carnes, pisces, & poma. de quibus iure quęritur, quod primum, quod postremum sumendum sit.

a lib.3. c.6.

b lib. de salub. diæta. lib. 3. de diæta. lib. 2. de morb. lib. de affectio. de internis affectio. de morbis mul.

Nunc perpendendū est, quod momentū habeat ante dicta sētētiæ Galeni īterpretatio. cū enim dicitur, Galenū noluisse, vt vulgus medicorū putat, aluū subducentia, & corruptioni obnoxia statim ante alios cibos sumi, sed aliquo spacio, ut ante dixi; hoc nō est interpretari Galenū: sed recitare sentētiā ei⁹ clarissimis uerbis, et interpretatione nō egētibus expressā secūdo li. de facultatibus alimentorū, vbi de spacio interponēdo hæc habet capite de prunis. πρόδηλον δὲ, ὅτι συντελεῖ γαστρὸς ὑπαγωγῇ, μετὰ τὴν προσφορὰν αὐτῶν ἐπιπίνειν τὶ γλυκέως οἴνου, καὶ διαλιπεῖν τίνα χρόνον, οὐκ εὐθέως ἀριστᾶν ἐν αὐτοῖς. καὶ τοῦτο κοινὸν ἁπάντων, ὅσα λα-

πάττει

πάντῃ γαστέρα. μνημονευέσθω σοὶ. *manifestuum autem, quod expedit causa subducendi ventrē illis ingestis superbibere nō nihil dulcis vini, & intermittere aliquod tempus, non autem confestim prandere. sed & hoc cōmune omnibus, quęcunque laxant ventrem, memoria teneto. hæc ait. De vsu vero astringentium. cum narrat in eodem libro, quid acciderit sibi cū illo rhetore,* τὰ στύφοντα, *inquit,* τελευταῖα ληφθέντα, καὶ μάλιστα τοῖς ἀτόνοις τὸν στόμαχον, αἴτια γίγνονται τῆς ὑπαγωγῆς ῥώννυντα τε τὴν γαστέρα, καὶ προτρέποντα διωθεῖσθαι τὰ περιεχόμενα κατ' αὐτήν. *astringentia postrema sumpta pręsertim ab his, quibus stomachus infirmus est, ventrem subducunt, dum scilicet ipsum roborant, & inuitant ad expellendum, quę in ipso cōtinentur; quę uerba sunt adeo perspicua, ut interpretatione non egeant. Deinde, non est interponendum spacium, vt mollientia descendant ante, quam chylus fieri incipiat: quoniam non apparet ex Galeno, tanto antę alios cibos spatio sumi oportere illos, qui ventrem molliunt, quantum sat est, vt concoquantur, & e stomacho excant. cum enim dicit, interponendum tempus quoddam, non statim prandendum, breue spacium significat: nam* τινὰ χρόνον *ad breuitatem significandā vsurpant Gręci. vt Theophrastus primo libro de causis plātarum, vbi scribit fructuū pulpæ tempus quoddam finem esse. seminum vero nequaquam; cum tamē etiam seminum certum, ac definitum tempus sit. sed optime notabat interpres* τινὰ χρόνον *pro modico acceptum tempore, vltra quod semen progredi potest, nō pulpa. & eodem libro habet* ὄντινουν χρόνον *pro temporis momento sed spacium interponere vtile est: quoniam cibi mollientes vim medicamenti quandam habent,*

bent, quæ quo sincerior, eo afficere magis corpus potest: quemadmodum enim aliarum rerum miscela corrigit, frenatq. fortia medicamenta (quod notissimum est) ita potest debilium medicamentorum vires omnino frangere. quamquam huic sententię de spacio interponendo (magni viri pace, ac venia dictum sit) sæpe contrarius euentus est: cum multi, qui debilia medicamenta, cibosq. quales diximus, assumpserunt, spacium nullo fructu interponant, contra vero cibos reliquos statim ingerere vtilissimum experiantur. Tum, dicta interpretatio nō est communis omnibus, de quibus disseritur. ordo enim ciborum ex Galeni sententia seruandus est: non tantū alui subducendæ, vel confirmandę gratia, sed etiam ne cibi in stomacho corrumpantur: nam eodem libro, de persicis verba faciens, docet clarissime, quę facile corrumpuntur, ante alia sumenda esse. si igitur vtile est spacium interponere ad aluum deijciendam, non etiam aduersus corruptionem idem habet momentum. quoniam cibis in chylum iā mutatis, ne corrumpantur, satis est a re nulla impediri transitum ad intestina. hoc autem fit, si ante alios ingerantur: quę Galeni sententia est.

Præterea dixerim, Galenum voluisse, vt spacium tunc interponeretur, cum quis proprie indiget medicamento aluum molliente, si ea forte durior, quam par est, euaserit: nam alias sæpe ostendit, vt deinceps suo loco exponam, se in hac re communem vsum secutum. at, qui primo loco soliti erant vesci oliuis ex muria, oleribus, salsamentis, et similibus, inter hos & alios cibos nullum spacium relinquebant. quod etiam maxime constat exemplo Protę rhetoris, cuius ante mentionem fecimus. is enim sine intermissione post cibos

aluum

aluum soluentes, comedebat carnes. quod vero idem postquam secundo bibisset, pauculum moraretur antequam astringentia poma comederet (nam Galenus ait, quo die ille secum comedit, primum sumpsisse fœnumgræcum, radiculam, & id genus alia, vt omnes fere solebant: deinde bibisse vinum dulce: tum ingessisse maluas cum oleo, & garo & pauco vino. præterea piscem, suillam, & auem: postremo, cum secundo bibisset, pauco tempore interiecto sumpsisse pira austera) quemquam mouere non debet; quasi consonum illi sit, quod Galenus dicit de spacio inter cibos aluum mollientes & alios. quod enim Galenus dicit, seruandum est in prima mensa: Protas vero in secunda illud faciebat. alias inter cibos primæ mensæ spatium ab eo positum Galenus non significat. Si quis vero obiter quærat, cur inter primam & secūdam mensam ille interquiesceret, dixerim, forte illud nullo consilio, sed fortuito ab eo factum, accidisseq; id, quod quiuis quotidie potest tam in seipso, quam in alijs obseruare. etenim vbi potatum est, & secunda mensa apposita quasi parte operis peracta, interquiescimus parum, vt alacrius, quod reliquum est, cōficiamus. qua propter Galenus de re hac nihil scripsit. uel si consilio factum quis hoc existimet, dici potest, exiguam moram inter primam & secundam mensam, in qua fructus austeros ille aßumebat, vtilem ideo fuisse, quoniam præbito tēpore, quo potuerit cibus omnis in ventriculi spacio componi, ipsum os ventriculi purius effectū magis afficiebatur ab astringentibus, quamobrem magis etiam confirmabatur. itaque inter ea, quæ ventrem molliunt & cætera alimenta, spacium de Galeni sententia non est semper interponendum.

In eo, quod postremo additum est; adstringentia non propria ratione, sed quia os ventriculi raborant, post alios cibos comedenda esse; hoc habetur notatu dignum, medicum vt [a] medicamenta, ita [b] cibos respectu hominis examinare, & calidos, frigidosve, astringentes, & laxantes, aliisq. nominibus appellare, quoniam tale ab illis effici corpus hominis videt, itaq. parum interest propria, an externa ratione astringentia confirment os ventriculi, modo id efficiant. etenim hoc non prohibet, quin mollentia aluum, & obnoxia corruptioni sint primo loco mandenda: quia similiter dici potest, ea non propria ratione, sed quia os ventriculi superius laxant, aliisq. innatant cibis, officere cõctioni; vt non sit causa maior, qua astringentia postremo, quam laxantia primo assumantur loco. ideo quemadmodum concedunt, astringentia vtiliter sumi post alios cibos, ita negare non debent, laxantia posterius cum periculo comedi (nisi cum astringenda aluus est) siquidem contrario, quam astringentia, modo os ipsum ventriculi afficiant. hęc de proposita interpretatione.

Galenum vero, tamquam hominem, potuisse errare: sicuti [c] Galenus ipse de Archigene dicebat; illud est, de quo instituita est præsens disputatio: quoniam, si ordo ciborum seruandus est, Galenus recte, sin minus, perperam scripsit.

Itaq. (quod in hac re pręcipuum est) considerandę sunt rationes, quibus aduersus Galeni sententiam defendebatur, primum frustra ordinem quæri, & seruari in assumendis cibis. deinde, si seruandus sit aliquis ordo, non illum esse probandum, quem ij proponunt, qui cum Galeno sentiunt.

[a] Gal. lib. 5. simpl. c. 6. Auic. lib. 1 F. 1. doc. 3 c. 1. & lib. 2. tract. 1. c. 1. & 2.

[b] Auic. lib. 1 F. 2. doct. 2 c. 15.

[c] lib. 2. κατὰ τόπους. c. 1.

In primis autem operę pretium est expendere, quod dictum est, Galenum primum scripsisse, ciborum ordinem seruandum esse; quamobrem aliqui fortasse crederent, priora secula nullam huius ordinis rationem habuisse quod verum non est, ut multis auctoritatibus probari potest.

Galenus ipse scribens a de uocatis moris, ostendit, non se, uel alium quempiam unum, sed omnium hominum consensum (qui naturæ uox aliquibus uidetur esse) ordinis ciborum auctorem fuisse. verba eius sunt,

a lib. 2. de alim.c.11

οὐ μὴν οὐδὲ ἀγνοεῖν μοι δοκοῦσι παντάπασιν οἱ ἄνθρωποι τὴν τάξιν τῶν ἐσθιομένων αὐτοῖς, θεώμεθα γὰρ αὐτοὺς ἐπὶ τῶν πλείστων ἐδεσμάτων φυλάττοντας αὐτήν. προλαμβάνουσι μέντοιγε ῥαφανίδας, ἐλαίας τε. καὶ τῆλιν ἐκ γάρου, καὶ μετὰ ταῦτα μαλάχας τε. καὶ τεῦτλα, καὶ ἄλλα τοιαῦτα λάχανα μετ' ἐλαίου τε, καὶ γάρου. τῶν μὲν γὰρ ὁσημέραι παρασκευαζομένων αὐτοῖς εἰς ἐδωδὴν, ἡ μακρὰ πεῖρα διδάσκαλος γίνεται τῆς δυνάμεως, εἰ καὶ μίκρον ἔχειν φρενῶν. ὅσα δὲ διὰ χρόνου πολλοῦ εἰς πεῖραν ἔρχεται. μόνοις τοῖς ἐπιμελέσιν παραφυλάττεται, καὶ μνημονεύεται. *Græca sæpe affero consultum volens lectoris commoditati. Latine hoc sonant. Non tamen omnino mihi videntur homines ordinem ignorare eorum, quæ comedunt, cum videamus eos in plurimis edulijs ipsum seruantes. etenim ante accipiunt radiculas, oliuas, & fœnum gręcum ex garo, & post hæc maluas, & betas, & alia huiusmodi olera cum oleo, & garo. quoniam vires eorum, quæ quotidie ad comedendum parantur, longa docet experientia illos etiam, quibus exigua vis ingenij est. quæcunque vero longo tempore in experientiam veniunt, ab ijs solis, qui eorum curam gerunt, obseruan-*

seruantur, & memoria tenentur.

Hæc Galenus. qui alibi [a] *quoque singulorum alimentorum facultates perpendens, ostendit, homines sui temporis consueuisse ab subducendā aluum alios cibos alijs mandenda præponere, ac cauisse ne summis epulis ea manderent, quæ nauseam excitare possent, cuiusmodi cerebrum* [b] *est. neque id ab eis factum consilio Galeni, sed vel ducente natura, vel docente experientia* [c]*, & hanc viuendi rationem seruasse cum alios, tum Antiochum sua ætate medicum peculiariter* [d] *narrauit.*

Hippocrates ordinem ciborum vim aliquam habere clarissime his locis ostendit. Secundo libro de diæta. Coriandrum, inquit, somnum conciliat, si postremum edatur. secundo libro de morbis, loquens de morbo regio nigro, iubet ægrotum vti cibis aluum subeuntibus, & inter cibos apio, ac porro, post cibos autem albo cicere. est autem ordo, vbi aliquid prius, & aliquid posterius ex prescripto fit eodem libro, de pleuritide, scribit, ægrum debere per biduum milium sorbere, & betas iucundißime paratas edere, & post eas ius sorbere catuli cocti, aut auiculę, & nonnihil carnis edere. libro de affectionibus, si quid (inquit) dare volueris refectionis gratia, alicam dato, & ptisanam triticeam. hæ enim sorbitiones sunt fortiores. dentur autem post cęnam. eodem, quicunque, inquit, ex sicco victu viuunt, his non cum cibo potus detur, sed post cibum multo tempore interposito, & sic quidem siccus humor a siccis cibis ortus corpus siccat. si vero quis simul cum cibo bibat, cibus humidior factus corpus humidius facit. quem locum Plinius e *videtur*

a eod 2. de alim. c. 22. 27. 28. 70.

b Gal. 2. lib. de alimē. cap. 8.

c 2. li. de alimen. c. 2. & li. 3. de alim. c. 8.

d 5. lib. de sanit. tu. c. 4.

imitatus inquiens, corpus augere volentibus, aut mollire aluum: conducit inter cibos bibere: contra minuentibus, aluumq. cohibentibus sitire in edendo, postea parum bibere. eodem item causam reddit (& si locus obscurus est) cur poma & nuces post cibum grauius, quam ante afficiant. libro de internis affectionibus, de curatione pituitæ popularis, iubet, vt ęger mazam, & panem comedat, obsonia, & olera acria, pinguia, dulcia, acidaq. permixta, et inter cibum bibat vinum dulce, frequenter, sed modice, & in fine polentam edat, & mel, & ficus. & hęc cum quis vomitum facere voluerit. secundo de morbis mulieribus, describens victum plurium dierum in inflammatione oris vteri, dicit mulierem debere ante prandium, vbi prandere voluerit, allij segmenta quatuor, & caseum acrem tali magnitudine terere, & polentam modicam permiscere, ac massam efformare, eamq. primum edendam dare, ante cœnam vero meracum sorbere, atq. ita cibum capere. tertio libro de victu acutorum de mulsa hæc scribit. Si autem ptisanæ sorbitione vtatur, insuper autem aquam mulsam bibat, valde ipsum replebit, ac flatus excitabit, & visceribus circa præcordia incommoda erit, at si ante sorbitionem aqua mulsa bibatnr, non ita lędit, velut si insuper bibatur. sed etiam aliquo modo proderit. nec obijciant hunc locum, vt & ante dictum, ad potionem, & sorbitionem pertinere, non ad cibum: quoniam quibus rationibus ciborum ordinē respuunt, eisdem sorbitionis, vel potionis simul, ac ciborum ordinem respuant oportet.

Aristoteles, siue quis alius antiquissimus auctor in a problemat. significat alios alijs cibis pręsumere nonnihil præstare. & ordinis ciborum obseruationem anti-

a sectio. 22. prob. 1.

antiquissimam fuisse. dicit enim fructus, ὀπώραν, assumptos ante & post cibos nō aeque implere. quoniam ante sumpti minus, post autem magis replent.

Heraclides Tarentinus, vt est auctor [a] *Athenaeus, quaesiuit vtrum tragemata primo cibo essent apponenda, vt in Asia; & Graecia seruabatur, an postremo. & causam affert, cur post coenam molesta sint.* a lib. 2. dipnos.

Idem in symposio (eodem [b] *Athenaeo auctore) scripsit, cibum ante potionem modicum sumendū esse, praesertim de genere eorum, qui primo loco apponi consuessent. fuit vero Heraclides diu ante Galenum.* b lib. 3. dipnos.

Diocles [c] *etiam ex antiquissimis ac probatissimis medicis, vtile esse in primo libro salubrium notauit, olus vocatum Phyllida, betā, salsamentū praesumere.* c Athenaeus li. 3. dipn.

Macedones ab Ephippo Olyntho arguebiantur, quod ordine praepostero magnis calicibus ante priorē mensam potarent. quod videre est etiam vbi Carani Macedonis conuiuium ab [d] *Athenaeo describitur.* d lib. 4. in prin.

De cucumere [e] *Diphilus Carystius dixit, inter primos si sumatur perturbare, quoniā sursum, ut Rhaphanus, fertur, postremo autem sumptum, minus molestum esse, & facilius concoqui.* e Athe. li. 3.

Rhaphanum, Dioscorides scribit lib. 2. post assumptum cibi distributionem magis adiuuare, ante uero cibum suspendere. & ideo vomituris mandi ante cibum. quamquam Plinius [f] *econtra, inquit, uomituris summo cibo esse eos utilissimum est.* f lib. 20. c. 4.

De Brassica [g] *M. Cato, si uoles in conuiuio multum bibere, coenareq libenter, ante coenam esto crudā quantum uoles ex aceto; & item ubi coenaueris, comesto aliqua quinque folia. quamquam ridet haec uerba M. Varro* [h]*, sed non quia falsa, uerū quia diuersa ab agri-* g de re rust. cap. 156. h lib. 1. de re rust. c. 2.

cultura sunt. dici tamen pro Catone potest, eum non de sola agricultura, sed de rebus omnibus rusticis scripsisse, vt ex ipsa inscriptione intelligitur. pertinere vero ad rusticos homines, vt expedita habeant ad suam valetudinem curandam remedia. sed ad rem.

a lib. 2. De Brassica etiam[a] Diascorides post cibum sumpta crapulam discutit. Plinius[b], antecedente in cibis caueri ebrietatem, postea sumpta crapulam discuti. quod[c] Aegyptij obseruabant.

b lib. 21. c. 9

c Suidas in voce & Aristophanis interpres eq. tibus.

De Melle M. Varro[d] scribit dulcissimum quod est, Dijs & hominibus est acceptum, quod fauus venit in altaria, & mel ad principia conuiuij, & in secundam mensam administratur.

Apud Lacedæmonios Cicero[e] ius quoddam nigrum cœnæ caput fuisse testatur.

d lib. 3. de re rust. c. 16.

Cornelius[f] Celsus. cibus, inquit, a salsamentis, oleribus, similibusq. rebus melius incipit. item inquit, secunda mensa bono stomacho nihil nocet, in imbecillo coacescit. si quis itaq. hoc parum valet, palmulas. pomaq. & similia melius primo cibo assumit quod est consonum ante dictis, ex Hippocrate, Aristotele, & Heraclide.

e lib. 5. Tusc. q.

f lib. 1. c. 2.

g lib. 20. c. 5.

De seseli Plinius[g], multum in summo cibo cotionibus confert vel folio, vel semine. De pane veteri, aut nautico idem,[h] vocis studiosis, & contra destillationes siccum esse primo cibo, vtilissimum est.

h lib. 22. ca. 25.

i lib. 28. c. 4.

De aqua frigida[i] inquit, saluberrimum esse frigidam cibis præsumere, atq. interponere.

k lib. 13.

Martialis[K], Claudere quę cœnas lactuca solebat autorum, Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes quo pertinet illud in Moreto, Grataq. nobilium requies lactuca ciborum. legiturq. apud Athenæum libro tertio

οἱ μὲν

οἱ μέν τοι ἀρχαῖοι πάντες πρό τοῦ δειπνεῖν οὐ παρέςερον οὔτε μήτρας, οὔτε θρίδακας.

Idem Martialis In Venetis sint lauta licet cõuiuia terris, Principium cœnæ Gobius esse solet. Nec ab his illud abhorret, quod Horatius, [a] *ille salubres Aestates peraget, qui nigris prandia moris Finiet.* [a] li. 2. serm. sat 3.

His auctoritatibus ostenditur, longe antiquiorem fuisse de ordine ciborum sententiam, quam vt Galenum fuisse illius auctorem arbitremur. probaturque nonnullam esse in hoc ordine vtilitatem.

Cum vero Galenus ipse miratur tum medicos, tum idiotas, qui post cœnam rhaphanos coctionis adiuuandæ gratia comedebant; non significat a se damnari ciborum ordinem, quẽ passim probat, & probatũ ab alijs cõmuni quodã cõsensu demõstrauit; vt ante vidimus; sed tantũ negat, eã esse in rhaphano vim, quæ adiuuet ad concoquendũ. Perpendenda iã est ea ratio, qua docebatur ordinẽ inter edendũ inutiliter seruari; videlicet cibũ omnẽ prius, quã exeat e vẽtriculo liquefieri debere, atq. in chylũ vocatũ mutari et ideo sic permisceri, et cõfundi, vt nihil referat prius, aut posterius aliquid mandere nec alium citius alio concoqui, quoniã simul omnes in chylũ mutantur. Cuius rationis vis in eo sita est, quod sumebatur ventriculi os infernũ non reserari, nisi omnium ciborum concoctione perfecta, non secus, quã vtero contingat, qui concepto semine non ante aperitur, quam fœtus iam perfectus exitũ properet.

Hoc autem placitum repugnare veritati clarissime hunc in modum ostenditur. Cui enim persuaderi potest, eodem tempore & spacio triticum, & panem concoqui: hordeum & mazam? Hippocrates [b] *scribit, se putare homines ab initio vsos fuisse eodem victu,* [b] lib. de vet. medicina.

quo bruta, videlicet comediſſe naſcentia ex terra, fructuſque, ac herbas, & fœnum. Sed quoniam hæc ab omnibus non ſuperabantur; cum non omnes æque viribus valerent; ex tritico panem, & ex hordeo mazam confecerunt: quod cibi genus facilius tritico & hordeo concoqueretur. & addit ſorbitiones, ac potiones repertas, quas debiliores, & languentes ſumerent, qui cibos concoquere minime poſſent. Quis ergo credat, non citius nos confecturos ex pane, & carnibus tritis ſorbitiones, quam carnes ipſas, ipſumq. panem? obuia omnibus edulia ſunt, quæ alijs facilitate concoquēdi præſtare exiſtimantur: quorum obſeruatio iure poſſet inanis haberi, niſi citius concoquerentur, & citius e ventriculo laberētur. Hippocrates a *ciborum varietatem,*

a lib. de flatib. *& diſſimilitudinem ideo damnat, quia diſſimilia ſeditionem mouent, & alia citius, alia tardius concoquuntur.* τὰ μὲν γὰρ θᾶσσον, *inquit,* τὰ δὲ χολέστερον πέσσετε. *&* b *alibi, cibi, inquit, partim celeriter ſuperantur, partim econtra.* βρώματα τὰ μὲν ταχέως, τὰ δὲ ἐναντίως κρατεῖται. *cum Hippocrate medici omnes, & vulgus ipſum, ſentiunt.*

b lib. 6. de morb. vul. ſect. 5.

Quoniam autem his occurritur dicendo, non ſigillatim, & ſeorſim, ſed ſimul omnes concoqui. ſcire eſt, calorem aggredi quidem ad concoquendum ſimul omnes, non tamen æque celeriter omnes conficere: ſicut caro vitulina citius coquitur, quam bubula, quamuis ambæ ſimul in eodem lebete foco appoſitæ. ſicut ignis, ſi rerum diſſimilium congeriem calefaciat, aliud prius, aliud poſterius liquefacit. nec illa ſequuntur, vt puto, ſcilicet, oportere aſſari, quod prius concoctum eſt, dum aliorum cōcoctionem expectat, ac crudum elabi, quod poſterius concoquendum eſt, ſi ante omnium concoctionem

ctionem os ventriculi inferius aperiatur. hæc, inquã, non sequuntur, quia in ijs, quæ de uentriculo statuebãtur, minus recte (mea sententia) Galeni mens percepta est, ut paulo post demonstrabo: prius enim examinandum est, quod momentum habeat exemplum uteri, quo placitum aduersum confirmabatur. quod autem dictu rus sum, si fortasse nouum alicui uideatur, non propterea statim refutandum est, sed primo perpendi debet rationi simul, et sensui consentaneum sit, an repugnet. Vteri ac ventriculi ratio sine dubio diuersa est, aliud munus alia structura vteri munus est, semen recipere, & multo post tempore non semen, sed ex semine fætum iam perfectum per eandem, qua semen receptum fuit, partem reddere: & quia tempore multo opus est, os eius arctissime claudi oportet, ne uel semen, uel materia animali generando idonea & necessaria elabatur. & quoniam non opus est, uterum eodem tempore accipere, & reddere, uno tantum ore donatus est, in quo claudendo mirum in modum natura laborat. etenim sinus ipsius, quibus constat crumenæ instar clausæ, et in medio illorum foramen positum albo quodam, & ualde hærenti muco ita implet, & obstruit, ut per aliquam rimulam affluere aliquid non possit. quemadmodum qui doliorum rimas pice oblinunt, quamquam non ita semper claudi, quin aliquid recipere & reddere possit, superfætatio, mensium fluor in quibusdam utero gerentibus, & alia experimenta satis docent: de quibus in præsentia plura dicere opus non est: quoniã non inuiti sumimus, naturale esse (quia plerumq. euenit) uterum prægnãtibus arctissime claudi. Horum autem, quę in utero pręcipua sunt (quod pertinet ab hanc tractationem) nullũ est in uẽtriculo, cuius enim munus

est ore sumpta recipere quidem, & continere, sed breui, & non per eandem, qua recipit, sed per aduersam partem naturaliter reddere. quamobrem simul admittere vnum potest, & aliud dimittere. propterea non tantopere natura laborat in claudendo infernum os eius, quemadmodum vteri. quamquam superno angustius factum est: ne facile aliquid e ventriculo (vt ait a *a Galenus) nondum concoctum descendat.*

a li 4. de vsu partium.

His notatis facile intelligitur nō esse necessarium, os ventriculi clausum manere, donec singuli ciborum concocti fuerint. Sed quemadmodum sub eodem prelo ex alio prius, deinde ex alio succus exprimitur, & ignis aliud prius, aliud posterius colliquat, quorum aliud similiter prius, aliud posterius effluit; ita in ventriculo aliud prius aliud posterius in cremorem permutari, & quod prius mutatum est, prius egredi, & interea alterum mutari; immo dum comedimus aliquid illorum, quę cœna eadē, vel prandio sumpsimus; si forte multum edamus; exire e vētriculo potest. quod suadetur exemplo brutorum, quæ, vt fere perpetuo comedunt, ita frequentissime aluum deijciunt, vt spaciū sæpe non possit constitui, quo ventriculi illorum nihil reddentes, nihilq accipientes, soli acceptorum concoctioni incumbant. equi, boues, & alia, quę inter homines viuunt (ne lōge conquisita exēpla afferā) id faciūt neq. alia est ratio brutorū atq hominis hac in parte, certo infantium experimento, qui & beneualentes, & continue fere comedētes, qui nō rūpantur, si uētriculi os inferius nō aperitur ante absolutā omniū ingestorū concoctionem? neq; hoc priuatim pueris datum a natura quisquā existimet, nam etiā viris aliquibus edacibus idē usu venire certū est. ac si quis etiam dicat, hoc

illorum

illorum tãtum esse, quibus validior naturalis calor est; is concedat oportet, naturale magis esse, ante perfectã omnium coctionem aliquid e ventriculo descendere, quàm nihil: quoniam illud pluribus cõtingit, infantes enim, pueri, adolescentes, ac iuuenes (quibus omnibus, paucissimis exceptis, calor naturalis fortis est) plures sunt, quã his seniores, in quibus tamẽ aliqui sunt vali do calore edaces. quærimus autem præcipue quod vel omnibus, vel plerisq. vtile esse debet. ex his igitur apparet Hippocratẽ, & Galenum concedentes, alia ocius alia serius concoqui, nõ posse negare, alia celerius alia tardius e stomacho elabi. sententia tum rationi, tum ijs, quæ sunt exposita sensibus, consentanea.

Ex eo vero, quo Galenus [a] scribit, osculum inferius ventriculi claudi instar vteri, nec prius e ventriculo cibum emitti, quã perfecte sit concoctus, non sequitur omnem prius cibum concoqui oportere, quã aperiatur; sed hoc tantum, clausum naturaliter tamdiu manere, donec nihil adhuc concoctum est. Sed vbi quid iam concoctum est aperiri nihil vetat, nisi præter naturam aliquid contingat. Nec (vt obijcitur) quod concoctum non est, egreditur crudum vna cum eo, quod cõcoctum est: quoniam illud inconcoctum, si concoctile sit, primum a facultate ventriculi retinetur; interim vocato ianitore clauso manente, qui, nisi vt concoctæ rei exitum præbeat, ex Galeni sententia, nõ aperitur; deinde sua mole, suaq. crassitudine sibi iter obstruit. quoniam vero, quod est in ventriculo, id non aceruatim sed sensim extruditur, & id, quod concoctum est, spacium & tempus requirit, vt totum effluat; interea dum hoc ipsum concoctum egreditur, alterum, quod intus remanet, conquoqui potest.

[a] li. 2 de sym ptom. cau. cap. 3. lib. 3. de facul. natur. cap. 4. li. 4. de vsu partium. cap. 17.

Con-

Concludendum est igitur, in ventriculo alia ocius, alia serius concoqui posse, & similiter, alia celerius, alia tardius exire. itaque ciborum aliquem ordinem seruandum esse.

Contra illud, quod dicebatur, nō conferre ordinem ad concoctionem omnium ciborum simul faciendam, nihil est afferendum ab eo, qui non omnes cibos simul, sed alios prius alios posterius concoqui putat. duo tamen notanda sunt.

Alterum, non esse existimandum, caloris vim ita suspendi, vt cibos non aggrediatur, nisi prius compositi sint, & arcte a ventriculi corpore complexi: nam vē triculum, arcte cibos amplecti, a Galeno [a] *traditum quidem est. sed idem quoque dixit, tam paucos, quam multos vndique a ventriculo sic concludi, vt vacuum spacium in eo sit nullum. itaque complexus hic non potest impedimento esse, quominus ingesti quamprimum cibi concoqui incipiant: quoniam paucos æque ac multos complecti ventriculus potest. illud quidem verisimile est, quemadmodum aquę feruor, frigida iniecta, remittitur, sic concoctionem, nouo demisso in ventriculum cibo, retardari. at caloris opus, calore non extincto, comprimi in totum non potest. qui vero est in calore sensus, quæve alia vis cognoscendi, vt temporis opportunitatem intelligat? atque ideo seipsum cohibeat, & certo tempore insitum, cæcumque calefaciendi impetum compescat, ac deinde quasi e carceribus emittat?*

[a] 3. li. de natur. fac. c 4

Alterum vero, dictum esse, ab Auicenna, illos, qui diutius inter comedendum durant, ea ratione damnari: quoniam cibi sunt componendi, & arcte a ventriculo complectendi, quod minime fit, cibis adhuc in

ipsum

ipsum labentibus. quasi velint tarditatem comedendi officere concoctioni, quia composito illa, & ille complexus ciborum, qui concoctionem debet anteire, serus fiat nimis ab ingressu noui cibi impeditus, tamquam opus sit ad concoquendum, suculis, vectibus, funibus, & similibus, quæ, dum comedimus, administrari nequeant, ac non præsto sit calor huius operis architectus, atque opifex, quem vel extingui, vel agere semper necesse est. quamquam ipsa eius actio queat remitti, vt paulo ante dicebamus. Sed quid opus est diuinare si comperta res est? Auicenna [a] *causam attulit, quamobrem longiorem comedentium moram damnauerit; longe diuersam ab ea, quæ afferebatur, nam inquit. & nihil quidem deterius est, quam diuersa nutrientia simul adiungere; & post illud in comestione tempus prolongare: cum enim postremum nutriens aduenit, primum iam incæpit digeri. Quæ verba interpretatione non egent, & ea confirmant, quæ dicebamus, cibos primo loco ingestos concoqui, dum alij posterius capiuntur: cibiq. concoctionem ingesti, alio, atq. alio adhuc descendente, incipi.*

[a] lib. 1. F. 3. doct. 2. c. 7

Quod si illud concedatur (ne quid intactum omittamus) semper clausum manere inferne ventriculum ante omnium perfectam & absolutam concoctionem; non tamen sequitur, si quid prius concoctum sit, illud assari debere, dum aliorum concoctionem perfici moratur. assarctur enim si humore, quo seruari posset, destitueretur. at in ventriculo, in quo humore multo perfusa sunt alimenta, id non contingit. omitto dicere, nos nouo more philosophari necesse non habere. concoctio in ventriculo elixatio ab Aristotele [b] *dicta est, inconcoctio vero inquinatio, non autem*

[b] lib. 4. meteor.

assatio:

assatio: nam & assatio concoctio est.

Sed(his missis) probabilius est, vt quidq. iam probe concoctum est, ita posse sensim exire dum reliqua concoquuntur.

Rationi, quæ sumebatur ex Galeno, sic occurritur, falso eos existimare, ventriculum trahere ad se alimẽtum dumtaxat perfecte absoluta ciborum omnium cõcoctione et chylo nutriri. nam Galenus, quarti libri de vsu partium capite decimo nono, significauit, vẽtriculum in ipsa cibi concoctione ali, non post ipsam, cum dixit paratum auxilium quoddam ad ventriculi nutritionem in ipsa cibi concoctione. insuper eiusdem libri capite octauo dixerat, quod concoctum est, quam citissime distribui conuenire. tertij autem de facultatibus naturalibus capite septimo dixit, ventriculum trahere paulatim alimentum. igitur si absoluta concoctione celerrime fiat distributio, quomodo tunc uentriculus sensim trahet alimentum? at si, dum cõcoquitur, nutritur, sic potest sensim nutriri; nec repugnat, quod cibus, qui iã concoctus est, dicatur celerrime distribui. propterea dicebat Galenus eodẽ loco tertij libri de facultatibus naturalibus, ventriculum ad se trahere ἀτμοδῶς, id est, vaporis instar. nam, quod est simile vapori, verisimile est fieri in ipsa concoctione, sicut in externis, quæ elixantur, tum, cũ feruor est, vapor attollitur. & est satis aperta Galeni[a] sententia, ventriculum suctus sensum (qui fames est) non ferentẽ, huius offensæ medelam cibum comparare; ad quem venæ se conuertunt nõ amplius sugẽtes a ventriculo. & ipsum uentriculũ ex cibo ipso, quantũ prius per uenas exhaustum fuerat, ad se trahere quo ex loco, hoc ventriculi desiderium expleri apparet non sanguine, non chylo vocato,

[a] lib. 1. de symp. caus. cap. 7.

vocato, sed cibo ipso aut cibi vapore quodam quem in modum Auicenna [a] *rem hanc intellexit, cum dixit, et scias quod stomachus nutritur tribus modis, vnus eorum est eius, quo fonetur cibo adhuc in eo existente &c. ratio est, quoniam fames, & animalis appetentia, quam primum cibus ingestus est (sensu iudice) submouetur. hoc autem fieri non posset, nisi cibus vim aliquā haberet, qua adhuc inconcoctus saturare, & nutrire ventriculum posset. &, quod aiunt, non protinus, vt cibus in ventrem demissus est sed aliquanto post, satiari hoc desiderium, id sensui aduersatur: etenim si paratus cibus est, nunquam desinit animal ipsum assumere, donec desiderium hoc expletum sit. postquam fames exempta epulis est, tunc comedere cessamus. non epulæ fami, sed fames epulis modum naturaliter ponit. scilicet vis inest in cibo eximendi famem antequam concoquatur. gaudet quidem ventriculus ciborum cōplexu, & ex eo tamdiu aliquid sibi sumit, quādiu opus est eum in ventriculo manere, ex Galeni sententia dicentis, vbi saturatus est, ac omnino expletus, quicquid superat expellere; quibus significatur, cibum a ventriculo tamdiu retineri, donec eo amplius non egeat. tamen eo non concluditur, ventriculum, vt nutriatur, concoctionem expectare, quasi chylo nutriri debeat. nam vt, cum primum cibus ingeritur, fames sedatur non chylo sed cibo ipso, vt ante dixi, ita fieri potest, vt deinceps ventriculus foueatur (vt dicitur ab Auicenna) & sustineatur non chylo, sed halitu, & vapore cibi, qui adhuc cōcoquendus remanet. quod Galenus significauit dicendo ἀτμῶδως ad se ventriculum trahere, vt exposuimus.*

[a] Lib. 3. F. 13 trac. 1. c. 1

Hęc ad ea, quę ordinem in cibis generatim inutilem

lem esse probare videbantur. nunc paucis dissoluendæ sunt rationes aduersus ordinem priuatim a Galeno probatum.

Galenus vult, si aluum mollire opus sit, mollientia primo loco assumi, postremo vero constringentia, quemadmodum homines passim facere animaduertit. quod si astringenda aluus sit, ostendit contraria ratione opus esse. ad hæc monet, vt ea, quæ corrumpi facile possunt, ante alia comedantur: quia posterius sumpta ob longiorem in ventriculo moram corrumpuntur, & morbum aliquem facere possunt. quod non euenit, si ante ingerantur: nam simul ac mutata sunt egrediuntur, hominemque a periculo liberant. Contra hæc autem dicebatur, dura & concoctu difficilia mandenda primis epulis esse: sic enim cum diutius in vētriculo maneant, magis conficiuntur. quę ratio sic diluitur. quoniam ex Galeni sententia uentriculi os inferius transitum cibis inconcoctis non præbet. dura igitur, uel ante, uel post alios cibos edantur, antequam e stomacho labantur, conficiantur oportet. deinde si (ut obijciebatur) cibum uniuersum oportet mutari prius in uocatum chylum, quam descendat. dura igitur non magis ante, quam post assumpta concoquentur. utrouis enim tempore ingesta, antequam descendant, in succum mutari necesse est. ad hæc cum dicatur, cibos omnes confundi, & commisceri; aufertur loci differentia, atque ideo non potest iure comprobari ordo contrarius illi, quem Galenus laudauit.

Nec altera firmior est argumentatio. Dura, viscida, & crassa ante comedenda vt melius concoquantur; quoniam calor, qui coquit, pene totus in fundo stomachi positus est. nam intelligendum est, quo modo Galenus

lenus putet calorem, qui coquit, in fundo stomachi esse. Auicenna a vsus est hoc loquendi modo, vt in vulgatis exemplaribus legitur. & scias (inquit) quod digestio est fundi stomachi. & appetitus oris stomachi. & c. quorum alterum est Galeni b, qui de ore stomachi scripsit, ὀρέγεσθαι γὰρ ἔργον, οὐ πέττειν ἐστὶ τοῦ δὲ τοῦ μορίου. idest appetere enim est opus huius partis non concoquere, quę sententia satis manifesta est alterum etiam Galeni c est, sed non fideliter expressum. non enim dicit stomachi fundum concoquere, sed quod reliquum est ipsius stomachi infra os eiusdem. ἀλλά. inquit, τό γε τῆς πέψεως ἔργον ἐν τοῖς μετὰ τὸ στόμα μέρεσι γίγνεσθαι πάντες ὡμολογήκασιν. at infra os ventriculi non solum fundum sed pars multa intermedia est. Auicenna vero videtur fundi nomine accepisse quicquid stomachi ore excepto est. itaque non magis in fundo, quam alibi fit concoctio ex Galeni sententia. immo contrarium asserendum esset, cum enim iecur d amplectatur ventriculum, vt calefaciat cibos, qui in eo sunt; sitque calidius, quam alia membra stomachū attingentia, par est existimare partem illam, quam iecur spectat, calidiorem cæteris esse. ea vero est dextra & prope editior pars ventriculi, non autem fundum. sed reuera Galenus toti ventriculo, ore excepto, munus concoquendi destinatum putauit.

a lib.3.F.13 tract.3 c.7

b li.1.de vic. rat. in ac. tex.19.

c li.5.de loc. affec. c.6.

d Gal.lib.4. de vsu part.c.8. Auicēna lib.3.F 13 trac.1.c.1

Quod si cui satisfactum penitus non videatur: quoniam mordicus contendat Galenum in ea fuisse opinione, nullam cibi partem e stomacho descendere, nisi cibo prius omni in chylum uocatū permutato: quāobrē nihil ad cōcoquendi rationem ordo ciborum pertineat; huic respondendum duxerim. etsi videtur satis sibi Galenus constans, & verborum eius posse eam interpretationem

tationem admitti, quæ a me superius proposita est; cũ neq; omnium, neque aliquorum expresse, sed solum infinite (vt ita dicam) perfectam cõcoctionem dixerit; quæ tam de parte ingesti cibi, quam de vniuerso intelligi potest. tamen si alterum fateri necesse sit, aut illũ, vt dicebatur, humano more aberrasse, qui ea de ventriculo dixerit; aut lasciuisse, qui de ordine ciborum multa litteris frustra mandauerit; aberrasse potius in ventriculi fũnctione, cuius cognitio obscurior est, quã in ordine ciborum docendo, cuius vtilitas vulgo quoq; nota est; vt concederem, ea quæ de ordine dicto ex vulgi, & doctorum hominum sententia, & obseruationibus, deque ventriculi structura, & munere ante diximus; omnino efficerent, atque conuincerent.

Nec putandum est Galenum ex solius vulgi, & omnino ex aliorum, non ex propria sententia de ciborum ordine locutum. quoniam siquis ea diligenter perpenderit, quæ initio ex illius commentarijs perstringebamus, intelliget eũ huic sententiæ ita consensisse, vt aliter sentire, sit ab illius sententia penitus recedere.

His autem satis videntur infirmatæ rationes illæ, quibus generatim ciborum ordinem, & eũ priuatim, quem Galenus approbat, partim legeramus, partim audiueramus a quibusdam damnari. Nunc reliquæ sunt rationes duæ perpendendæ quas iure, vt ab alijs etiam omißas, præterire silentio potuissem; sed non prę teribo, quod possunt ab aliquo in hac disputatione non iniuria desiderari.

Altera est, quod aliqui quotidie ciborum ordinem seruantes nullum, sed nunc primo, nunc summo cibo vel mollia, vel dura sumentes, mali nihil recipere videntur. quæ ita dißoluitur. Hos etsi non statim, procedente

dente

dente tamen tempore in morbos incidere, quibus ob eã causam obnoxij magis redduntur. quemadmodum illi qui mali succi nutrimenta sumunt, & quemadmodum [b] iuuenes, qui frigefactum niue potant vinum, lædi non creduntur, quia non statim morbus semper accidit. cum tamen prauus ille succus, postquam in eis diu latuerit, possit ab exigua occasione putrescere, & malignas febres accendere, atque cum inclinante æta te iam gignat morbos tum insanabiles, tum curatu difficiles in articulis, in neruis, & in visceribus.

a Gal. 1. lib. de alim fa cul. in fine & lib. 2. c. de cucumeribus.

b Gal. lib. de cib. bon. & ma. succi. cap. 13.

Altera est, quod aliqui sunt, quibus iuscula, et alia huiusmodi præsumpta vomitum cient, postremo eisdẽ cibo accommodata contra quam Galeno placuerit. Verum id cum probat illud generale, ordinem ciborum necessarium esse; quoniam cuiusque natura inspecta (si quidem medicus non sanat hominem [c], sed Calliam; & singulorum proprietates experimento sunt cognoscende; neque enim aliter cognosci potest, quid cuique ab vnoquoque cõtingat [d]; quod vt cognoscat medicus omni studio anniti debet) consentaneus illi ordo seruari debet; sic enim Galenus [e] eiusmodi quasdam naturas comperium esse, quibus vtique vinum dulce; sed vbi aquam præbiberint, est concedendum; tum non arguit alterum priuatim a Galeno vel primo (vt alicui placebat) litteris traditum: aluum scilicet mouẽtia, & obnoxia corruptioni præsumi oportere: etenim quod pauci quidam reperiantur, quibus primo, non prohibet esse alios (qui alioqui plurimi sunt, vt notissimum est) quibus vltimo cibo mollia vel natura, vel consuetudine incommoda sunt. in quibus singulis suus ordo vtiliter absq. dubio seruatur, & cum periculo negligitur.

c Arist. 1 li. Metaph.

d Hippocr. lib. de veteri medicina.

e 6. li. de san. tu. c. 3.

Sed hoc, postremo, vt quilibet animaduertat, fi-

gatque in animo, summopere optandum est. Si frustra ordo seruetur: seruare tamen non obesse; nullus enim obesse dixerit. Si non seruetur, quod non obsit, in controuersia esse; quod prosit, a nemine dici. itaque tut ius esse ordinem seruare. eum vero seruandum, quem seruari passim videmus, nisi alicuius proprietas repugnet. de quo satis dictum est.

FINIS.



INDEX RERVM QVAE IN HAC DISPVTATIONE explicantur.



A

D

F

dat

Salsa-

S

T

V

FINIS.

ERRATA.

ERRATA multa consulto omissa sunt, in quibus lector decipi minime potest. vti cũ littera pro littera posita est, Typographos decipiente vel figuræ similitudine, vt cum b pro h, æ pro œ, vel soni, vt cum y pro i positum est. sicuti quoque, vbi simplex pro duplici, & contra, & vbi iteratum est verbum aliquod, & vbi duo coniunguntur, vel vnum perperam diuiditur, vel transfertur. neglexímus etiam emendationẽ interpunctorum, & accentuum quorundam, & litterarum importune insertarum, vt cum pro, assando, scriptum est, assandio: & earum, quas inuersas esse quiuis dignosceret, vt in pag. 2. vbi pro ἐπιληψίαν habetur ἐπιληπτίαν. quę uero omittenda non fuere, hęc sunt.

In obseruationibus.

Pag. 3. pro genitura, lege, genitura. 7. leboranti. laboranti. 12. aliquibue. aliquibus. 16. alie. alio. eosdem. easdem. perumque. plerumque. 44. arterius. arterijs. 49. apro. pro. 55. mouetq; hoc. mouetq; hoc. 58. ἠμ εἶναι. μὴ εἶναι. 63. andem. eandem. 67. retuli. rutili. 68. rebur. rebus. 78. ὀλιγοντι. ὀλιγότητι 80. rom. rem. 89. tantu. tantum. 90. comite. comice. ἄλρισα. ἄλφιτα. μασίσκας. μαζίσκας. ἄλφισον. ἄλφιτον. 93. πτίασιν. πτίστιν. 94. nomi-. nominat. 109. sit. sint. iij. κατξψε. κάτοψε. ἀλᾶτθαι. ἀλᾶσθαι. 120. ἀπηθαλυμένεις. ἀπηθαλωμένεις. equidam. equidem. 138. notatus. notatur. 150. moderentur. mederentur. 152. Paphlagenia. Paphlagonia. 154. vso. vsus.

156.

ERRATA.

156. αανονται φαίνονται le.de.157. Aegyptis. Aegypti. Aegypriјs. Aegyptij. 173. quę ſuerunt. fuerunt, quę ιρς.χρονικά. χρόνικα. 193. ὑγιῆς. ὑγιεινῆς. 194. negabat. negabant. 201: es. eſt. 208. quari. quaſi. Gaſtinacæ. Paſtinacę. 209. fortem. forte. 217. nihil eſt omnino. nihil omnino. 219. vocatum. vocatam. 220. medulla reliqua. medullam reliquam. antiquiſſimo. antiquiſſima. 237. Ariſtipoi. Ariſtippi. 240. donate. donata. 241. aſt. eſt. 243. διοτηφέες. διοτρεφέες. βασιλύνες. βασιλῆες. 247. poſitum. poſitam. 249. vxorem. vxore. 257. Mnris. Muris. 261. hoc. hos. 262. per Hippocrates. per Hippocratis. 266. cum Sirbonis. cum Sirbonim. 274. ipſam Attica. ipſa Attica. minu. minę. 275. apud enim. apud eum. Valento. Talento Daniſtre. Daniſtæ. minas as. minas. debeantur. debebantur. 277. proceſſum. proceſſuum. 279. arbitraatur. arbitrabatur. 282. abſouitur. abſoluitur. 286. difficilius. difficilibus. 287. remotum. remoram. 295. teſtata. teſtatam. 296. nonnullis. nonnulli. 308. ἐν ἑ. ἐν ἑξ. 309. & cur. at cur. 225. pręceptos. pręceptor. volaminis. voluminis.

In diſputatione.


9. Pluturcho. Plutarcho. 15. inſtituita. inſtitutu. 18. mulieribus. muliebribus. 20. Diaſcorides. Dioſcorides. 23. ab hanc. ad hanc. 25. quo Galenus. quod Galenus.

Registrum.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z, Aa Bb Cc.

Omnia folia, † semifolium,





R O M AE.

Excudebat Alexander Gardanus, & Franciscus Coattinus Socij. 1587.

